





Ex Bibliotheca Eremi
Montis Regij ad Varsaviam
Elmj.



IN NOMINE CHRISTI CRUCIFIXI.

SENTENTIÆ SACRÆ

In Quinq; Opuscula Divisa.

De Symbolo Apostolorum
SEV DE FIDE.
De alijs Virtutibus, & quæ his sunt annexa,
De Opposito Virtutum sc:
DE PECCATIS,
DE DECEM DEI PRÆCEPTIS,
ubi breviter de Præceptis Ecclesiæ,
tandem de SACRAMENTIS.

In gratiam & commodum
ORDINANDORUM

AUTHORE
P. M. F. FERDINANDO OHM aliàs
IANUSZOWSKI, Ord: Prædic:

His annexum Supplementum ad dist: 9nam. de Antichristo & signis antecedentibus finem mundi.

Cum licentia Superiorum.

CRACOVIÆ, TYP. ACADEMICIS.







Perillustri, Magnifico; ac Reverendissimo D. D.

M. PETRO PRACZLEWIC,

S. Th: Doctori & Professori, Ecclesiæ Cath: Crac: CANONICO. Per eandem Diœcesim Librorum CENSORI. Almæ Universitatis Cracov: RECTORI ac PATRONO,

P. FERDINANDUS OHM aliás JANUSZOWSKI, M. Ord: Præd:

Perillustris Magnifice ac Reverendissime D. D.

EXcellentiam, utilitatem, necessitatem SENTENTIA-

 RUM

RUM SACRARUM *in gratiam*
Ordinandorum, è ſacris pa-
ginis deſumptarum, omnibus
eſſe notam non dubito. *Qua-*
rum excellentia, innoteſcit
connexione ad ſupremū Ens.
DEVM unum & Trinum.
Vtilitas. Omnis enim Scri-
ptura, *intellige, Sacra,* eſt uti-
lis ad erudiendum ad juſti-
tiam. *2. ad Timotheum 3.*
Tandem neceſſitas. Hanc
enim repellens repellendus à
Sacerdotio. Quia Tu ſcien-
tiam repuliſti, repellam Te
ne Sacerdotio fungaris mihi.
Oſeæ

Oseæ c. 4. *Quas dum in quinq; Opuscula, sc: Symbolum Apostolorum. De virtutibus. De peccatis, sed cavendis. De præceptis DEI & Ecclesiæ. De Sacramentis in communi & particulari, divido, ad quinque fontes de Sacratissimo Corpore Salvatoris emanantes, reflector. De his prænuntiante Prophetâ omnis Sacra doctrina emanat.* Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Isaiæ c. 12.*

Has dum pro bono Eccle-

stæ pretioso Sanguine Christi D. fundatæ in gratiam Ordinandorum è sacris literis desumo, sub Perillustris Magnificæ ac Reverendissimæ Dignitatis Nomine, lucem publicam videre humillimè peto. Non renuet Perillustris Magnifica & Reverendissima Dignitas benevolo affectu suscipere, cui longè majora debentur.

Quem dum post Philosophicos & Theologicos cum fructu Discipulorum superatos labores, celeberrima Uni-

versitas Cracoviensis laureâ Doctoratûs decoravit. Dignitate Magnifici RECTORIS honoravit. Venerabilis Cathedra Cracoviensis ad eminentiam Reverendissimi: Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis intelligo; sublimavit. Authoritas Episcopalis contra temerarias & hæreticas doctrinas Censorem, Librorum per totam Cracoviensem Diœcesim firmavit. Ego omnium minimus SENTENTIARUM SACRARUM opusculo, quantitate quidem par-

vo,

vo, affectu tamen grandi, præmissâ profundissimâ submissione veneror. Quantùm possum tantùm audeo. Permitte igitur sub Dignissimo Nominis Tui patrocinio, hoc opusculum in lucem publicam prodire. Quod dum spero, imò jam video: Tibi Perillustris Magnifice & Reverendissime Domine, felicem in rebus agendis modernis calamitosis temporibus dexteritatem, gratiam Numinis, tutelam Cælitum, & post decursum vitæ, immor-

talem

talem & beatam æternitatem ex intimis cordis medullis precor & opto. Me apud Divinam Majestatem obligatum agnosco. Tandem ulteriori gratia & favori Perillustris Magnificæ & Reverendissimæ *Dignitatis commendo.*

PERILLUSTRIS, MAGNIFICÆ & REVER; DIGNITATIS.

Humillimus Servus

F. FERDINANDUS OHM aliàs JANUSZOWSKI M. Ordinis Prædicatorum.

Facultas & Approbatio Ordinarij.

EGo M. FRANCISCUS PRZE-
WOSKI S. T. D. & Professor.
S. R. M. S. S. Floriani Præpositus.
Ordinarius Librorum Cēsor. Opu-
sculum, cui Titulus SENTENTIÆ SA-
CRÆ. in gratiam & commodum
Ordinandorum ab *A. R. P. F. FER-
DINANDO JANUSZOWSKI S. T. D.*
collectæ, vidi. Quod cùm nihil Or-
thodoxæ fidei aut bonis moribus
dissonum in se contineat; sed non
solùm Ordinandis verùm omnib⁹
legentibus sit proficuum & utile,
ideò illud approbo & in lucem
publicam prælo edi do & concedo
facultatem. Datum in Præpositu-
ra S. Floriani 31. Januarij 169[illegible].

M. FRANCISCUS PRZEWOSKI,
*S. T. D. & Professor, Præpositus S. Flo-
riani, S. R. M. S. Ordinarius Librorum
Censor.*

FACULTAS ORDINIS.

APPROBATIO

THEOLOGORUM ORDINIS.

Videatur in opere impresso 1699.



OPUSCULUM PRIMUM, De Symbolo Fidei

PROLOGUS.

1. SYMBOLUM FIDEI est *Collectio Articulorum Fidei.* Est autem Articulus Fidei, *invisibilis veritas de* DEO, *nos arctans ad credendum.* Particula *arctans* non debet sumi pro necessitate coactionis, cùm credere sit volũtarium, sed pro necessitate finis, quia accedentem ad DEUM oportet credere, & sine fide impossibile est placere DEO, ut Apostolus dicit ad Hebr: 11. sic explicat S, Th: 22. q. 1. a. 6. ad 3,

2. Si plures veritates non habent specialem difficultatem, censentur una veritas, v.g. quòd Christus D. sit passus, mortuus, & sepultus. Vel si una veri-

tas continetur virtualiter in alia, ut veritas Sacramenti Eucharistiæ sub veritate de Omnipotentia Dei, ut docet S. Th: loco cit: a. 8. ad 6.

3. Tria numerantur Symbola. 1. Apostolorum. 2. Nicænum, à primo tantùm secundùm majorem explicatio... distinctum. 3. S. Athanasij.

DISTINCTIO I.

De primario Objecto Symboli Fidei.

1. DEVS sic explicari potest. Ens per essentiam, id est, *Ens cui necessariò convenit existere.* Ex illo Exod: 3. *Ego sum, qui sum.* 2. *Ens super omne ens & à quo omne aliud ens dependet.* 3. *Ens quo nihil majùs aut meliùs excogitari potest.*

2. DEUS est ubiq; per essentiam, præsentiam & potentiam. Esse ubiq; per essentiam, est adesse immediatè omnibus secundùm suam entitatem. Per præsentiam, est cognoscere omnia. Per potentiam, est posse operari in omnibus rebus quicquid vult S. Thom: 1. q. 8. a. 3.

3. Quam

3. Quamvis Deus sit ubiq;, specialiter tamen est in cælo empyreo. 1. Ob loci dignitatem. 2. Quia in eo specialiùs splendet Divina Majestas, quàm in alijs mundi partibus. 3. Quia ibi specialiter operatur, Beatisq; seipsum manifestat & fruendum exhibet.

4. Sanctissima Trinitas, *sunt tres personæ, Pater & Filius & Spiritus S. in unitate essentiæ Divinæ.* Quod mysterium nonnullis similitudinibus explicari solet. S. Dionysius L. de Divinis Nominibus c. 5. comparat tribus luminosis unitis, quorum est idem lumen. Alij comparant tribus plicis ejusdem vestis. Alij aliter. Quæ similitudines deficiunt. Aliàs tantum mysterium, non esset tantum mysterium.

DISTINCTIO II.

De numero Articulorum Symboli Apostolorum.

1. Apostoli antequam in mundum dispergerentur Symbolum composuerunt, ponentes singuli singulos ar-

ticulos. Qui autem hunc vel illum in particulari, non conveniunt Theologi. Propterea circa hoc non molestandi Ordinandi. Piè credendum B.V. Mariam in medio Apostolorum tanquam Magistram fuisse, dum Symbolum componebatur. S. Paulus Apostolus nullum Symboli articulum composuit, quia non fuit adhuc electus.

2. Secundùm Catechismum ex Decreto Tridentini jussu Pij V. editum, duodecim hocmodo numerantur articuli Symboli Apostolorum.

1. Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.

2. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum Dominum nostrum.

3. Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine.

4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

5. Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.

6. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

7. In-

7. Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

8. Credo in Spiritum S.

9. Sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum communionem.

10. Remissionem peccatorum.

11. Carnis resurrectionem,

12. Vitam æternam, Amen.

3. Ex his primus articulus pertinet ad Deum Patrem. Sex sequentes ad Deum Filium. Alij ad Deum Spiritum sanctum. Et sic Symbolum fidei in tres partes dividitur. Prima, circa Personam Patris, & creationem Patri appropriatam. Secunda circa Personam Filij, & redemptionem. Tertia circa Personam Spiritûs S. & sanctificationem huic appropriatam.

4. Secundùm S. Thomam 22. q. 1. a. 8. quatuordecim numerantur articuli. Septem ad Divinitatem, septem ad humanitatem. Circa Divinitatem, 1. de unitate Essentiæ. 2. de Persona Patris. 3. de Persona Filij, 4. de Persona Spiritûs S. 5. de creatione, 6. de

Sanctificatione, dum dicitur, *Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sanctorum communionem. Remissionem peccatorum.* 7. de remuneratione:

5. Circa humanitatem Christi D. 1. de Incarnatione, seu de Conceptione Christi. 2. de Nativitate ejus ex Virgine. 3. de Passione ejus, Morte & Sepultura, 4. de Descensu ad inferos, 5. de Resurrectione, 6. de Ascensione, 7. de Adventu ad judicium.

6. Nec putes Authores Catechismi Romani contraire S. Thomæ, cùm fuerint Ordinis nostri. & Discipuli S. Doctoris. Fuerunt F. Franciscus Forerius Lusitanus: F. Leonardus Marinus Archiepiscopus Lancianensis. F. Ægydius Fuscararius Episcopus Mutinensis. F. Thomas Manriq; S. Palatij Magister, & F. Eustachius Lucatellus, Ordinis N. Procurator Generalis. Sed hi duo ultimi tantùm reviderunt. Præfati ergo, dum Symbolum fidei in duodecim articulos diviserunt, numerum Apostolorum cōponentium attenderunt, S. verò Tho-

mas

mas res contentas attendit. Qui etiam Opuſculo 5. ait. *Nec refert ad veritatem fidei, vel errorum vitationem, qualiter distinguantur.*

DISTINCTIO III.

Circa primum Articulum.

De Omnipotentia Dei Patris & opere creationis.

1. Licèt omnes Perſonæ ſint omnipotentes: quia tamen Pater eſt principium omnis productionis; & ipſe à nullo producitur, ideo ei omnipotentia appropriatur, ſeu ſpecialiter, noſtro modo loquendi, attribuitur.

2. Opera ſex dierum hoc ordine procedunt. Primo die creavit Deus cælum & terram. 2. fecit firmamentum, divisitq; aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſupra firmamentum. 3. Congregavit aquas quæ ſub cælo erant in locum unum, & apparuit arida; produxitq; terra herbam virentem, & lignum faciens fructum. 4. fecit Solem, Lunam & Stellas. 5. reptilia & volatilia.

6. Beſtias & reptilia terræ. Difficultates circa hæc videantur apud S. Thom: 1. p. præcipuè à q. 68.

3. Circa creationem hominis hæc occurrunt. 1. Licèt homo inter creaturas corporeas primatum teneat, poſtremò tamen creatus. 2. Homo ad imaginem & ſimilitudinem DEI creatus, quæ eſt ſecundùm animam, inquantum hæc habet incorruptibilitatem. S. Thom. Opuſc: 6. 3. Locus ubi Adam creatus ignoratur, certum tamen extra paradiſum fuiſſe conditum.

4. Probabile, in agro Damaſceno. 4. Creatus à DEO perfectus ſecundùm magnitudinem corporis & ætatem. Scientiâ, alijs donis, etiam dominio in creaturas irrationales ornatus. 5. Ex hujus coſta Evam effinxit, quod præſtitit, ut oſtenderet mulierem ſociam & collateralem eſſe Viri, non ſervam, neq; dominam, ſed Viro capiti ſuo ſubditam. 6. Fuiſſet immortalis (cum per peccatum intraverit mors in mundum ad Rom: 5.) transferendus tempore à DEO de-

destinato in cælum, S. Th: 1. p. q. 102. art: 4,

5. Immortalitatem causabat, quædam virtus supernaturalis inexistens animæ, per quam anima poterat corpus ab omni corruptione præservare, quàmdiu ipsa DEO subjecta mansisset, S. Th: l. c. q. 97. a. 1. Lignum enim vitæ semel sumptum præservabat quidem à corruptione, sed tantùm ad determinatum tempus. S. Th. l. c. a. 4.

6. Res invisibiles, id est Angeli (de quibus loquor ordine Symboli Nicæni) non sunt creati ante mundum corporeum, sed simul. Concilium Lateranense C. Firmiter, ubi dicitur. DEUM simul ab initio temporis, utramq; de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corpoream, Angelicam & mundanam. Et quidem primâ die creati sunt Angeli, si locum petas, in cælo empyreo, S. Thom: 1. p. q. 61. a. 4:

7. Tres sunt Angelorum hierarchiæ: Prima continet Seraphinos, Cherubinos, Thronos. Secunda. Dominationes

Virtutes, Potestates. Tertia. Principatus, Archangelos, Angelos. Et sic sunt novem Chori Angelorum. Quorum Officia describo in 2. Sententiarum Thomisticarum distinctione 7. Vbi alia de Angelis videantur calamo brevi & facili descripta.

DISTINCTIO IV.

Circa Secundum Articulum.

1. HIc articulus proponit JESVM Christum esse Filium DEI, verum, Vnigenitum, ejusdem naturæ cum Patre. Et sic esse verum DEUM, æqualem Patri, coæternum, personaliter distinctum, Dominum omnium. Licèt autem & nos dicamur Filij DEI, secundùm ps: *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes,* hoc tantùm secundùm participationem & adoptionem, non secundùm naturam.

2. Hæc circa Nomen JESVS sunt scienda. 1. JESVS est Nomen significans DEUM & hominem. 2. Significans Salvatorem. 3. Voluntate DEI impo-

positum, *Et vocabis Nomen eius IESVM.* Matt: 1. 4 cùm cætera nomina Christi Domini salutem quam nobis dedit, attingant, hoc ipsum universæ salutis humanæ vim complectitur, Catechism Romanus, & propterea dicitur Nomen super omne Nomen. 5. ad pronunciationem hujus Nominis inclinamur.

3. Additur Christus, id est, unctus, quia verè Oleo Spirituali unctus ad triplicem dignitatem, Sacerdotis, Regis & Prophetæ.

4. Erat Sacerdos, Officium Sacerdotis est esse Mediatorem inter DEUM & populum, inquantùm preces populi DEO offert, & pro eorum peccatis DEO satisfacit, hoc autem maximè convenit Christo D. S.Th: 3. p. q. 22. a. 1.

5. Erat Rex. *Regnabit in Domino Iacob in æternum & regni eius non erit finis.* Luc: 1 Hoc regnum Spirituale atq; æternum, in Ecclesia militante, eam fundando, Sacramenta instituendo &c. inchoatur, & in triumphante perficitur.

6. Negari non debet Christum Do-

minum, ut hominem habuisse dominium super omnia regna mundi in temporalibus, licèt id in paucis actionibus exercuerit, non quidem supremum, quod illi ut DEO tantùm competebat, nec infimum fundatum in voluntate humana. jure enim humano introducta est divisio rerum & jurisdictio ad servandam inter homines pacem. Tali dominio carere perfectionis erat, sicut tali carere ad religiosam pertinet perfectionem: Habuit tamen dominium medium fundatum in unione hypostatica, hoc enim conducebat ad exaltationem sui Nominis, ut in Nomine JESV omne genu flectatur. P. M. Julius Bianchi Venetus, Professor Romanus super Minervam, tractando in 3. p. D. Thomæ.

7. Erat verè Propheta, & in eo fuit verè prophetia. S. Th: 3. p, q. 7. a. 8. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Lucæ 7. Quæ enim procul, ab aliorum viatorum, notitia erant, annuntiabat. Scias ex N. P. M. Labat in 3. p di. 5. dub: 3.

§. 5. prophetiam ex se non impertare claram vel obscuram cognitionem, sed solùm notitiam eorum, quæ procul sunt ab aliorum viatorum cognitione, sive illa sit clara, sive obscura.

DISTINCTIO V.

Circa tertium Articulum.

In hoc Articulo, & Conceptio CHRISTI D. seu Incarnatio, & Nativitas declaratur.

1. QVando ergo B. Virgo MARIA credidit Angelo & consensit, dicendo. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum*, tunc SPIRITUS S. supervenit in eam, hoc est, fæcundavit eam, & formavit in instanti de purissimo sanguine B. Virginis, Corpus, & in eodem instanti, in quo formatum est corpus, creata est anima de nihilo, & hæc eodem instanti conjuncta est corpori organizato, & illa duo sc: corpus & anima simul fuerunt Divinitati unita in Filij DEI Persona, & sic eo in-

stanti

ſtanti facta Incarnatio, quo B. Virgo MARIA conſenſit, dicendo, *fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

2. Licèt opera ad extra ſint communia toti Trinitati, Conceptio tamen Chriſti Domini appropriatur, ſeu noſtro modo loquendi, ſpecialiter tribuitur SPIRITUI S. quia hoc opus bonitatis, opera autem bonitatis ſpecialiter attribuuntur SPIRITUI S.

3. Nec tamen SPIRITUS S. poteſt dici Pater Chriſti Domini, nam licèt Chriſtus Dominus ſecundùm quod homo ſit de SPIRITU S conceptus, ſicut de principio activo, non tamen ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei, ſicut homo naſcitur de Patre ſuo.

4. Nativitas Chriſti Domini eſt triplex Divina, humana & gratuita. Prima ex Patre ab æterno. Secunda ex Matre in tempore. Tertia in mente per gratiam. B. Albertus M. loco cit. c. 11. & hanc triplicem Nativitatem repræſentat Eccleſia per tres Miſſas die Nativitatis Domini. Miſſa noctu cele-

bra-

brata repræsentat Nativitatem Divinam. In aurora, secundùm Carnem ex B. V. MARIA. Cantata in die, gratuitam. B. Albertus M. in compendio veritatis Theologicæ, L. 4. c. 11. S. Thomas Missam in aurora dicit significare Nativitatem, secundùm gratiam. Cantatam de die dicit significare Nativitatem secundùm Carnem. Vide S. Th: 3. p. q. 83. a. 2.

5. Secũdùm temporalem Christi Domini Nativitatem B. V. MARIA est vera Mater. Nam Corpus Christi Domini est de B. V. sumptum, & ex purissimo sanguine Beatissimæ formatum. Seu quod in idem redit. Conceptus est de MARIA Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei, quod sufficit ad rationem veræ Matris. S. Th: 3. p. q. 32. ar: 3. & q. 35 a. 3.

6. Per medium annorum quo Christus Dominus venit, intelligitur plenitudo temporum, id est, tempus gratiæ. Dicitur medium, quia mediat inter annum iræ, qui fuit veteris Testamenti, & an-

& annum gloriæ. Dionysius Carthusianus super Canticum Abacuc. *Audivi auditionem tuam & timui.*

DISTINCTIO VI.

Circa quartum Articulum.

Hic Articulus Passionem Christi Dñi. in Cruce suspensionem, Mortem & Sepulturam credendam proponit.

1. SEcundùm S. Vincentium Ferrerium relatum à P. M. Seraphino à Porrecta in 3. p. D. Thomæ q. 47. art. 1. Christus Dominus his instrumentis flagellatus, s. Virgis spineis, flagellis habentibus nodos, aculeis acutissimis transfixos, & catenis habentibus in summitatib⁹ uncos. Primi enim milites flagellantes habuerunt virgas de spinis, & vepribus acutissimis confectas, quibus flagellando cutem Christi aperuerunt. Secundi primis fatigatis succedentes habuerunt flagella, in quorum summitate erant nodi aculeis acutissimis trãsfixi, & his flagellando Sanctissimam Carnem scin-

ſcindebant. Tertij ſecundis ſuccedentes habuerunt catenas, in quarum ſummitatibus unci, quibus flagellando Sanctiſſimam Carnem extraxerunt.

2. Quidam ex revelatione numerant ſupra quinque millia ictuum. Alanus de Rupe c. 15. dicit, D. Bernardo à Chriſto Domino revelatum. *Quis amat mecum portare Crucem, is in dies, mihi paſſo, recitet quindecim, Pater N. & Ave per annum ſolidum, & complebit numerum vulnerum meorũ.* Fors eſſent quinque millia vulnerum, quadringenta ſeptuaginta quinque.

3. Secundùm S. Anſelmum in Dialogo de Paſſione Domini, Corona Chriſti Domini non fuit de ſpinis, quæ vulgò dicuntur ſpinæ, ſed de juncis marinis, qui acutiores habent aculeos. Idem docet S. Bonav. Ludolphus Cárthuſianus apud P. M. Rufzel l. 1. p. 1. c. 8. ubi alias ſententias refert.

4. Secundùm S. Greg: Nazianzenum & S. Bonaventuram, Chriſtus Dominus tribus clavis fuit Cruci affixus. S. Greg: Turonenſis, Innocentius III. Conſalvus

Du-

Duranthus, Guilelmus Lundanus Episcopus & alij tenent, quòd quatuor. Pedes enim duobus affixi, ut est in revelationibus S. Birgittæ l. 4. c. 70.

5. Non numerando titulum Crucis, de quatuor lignis fuit Crux Christi Dñi s. de Cedro, Cupresso, Palma & Oliva, Titulus secundùm Bedam de buxo. Et sic numerando titulum, de quinq; lignis. V.P. Magistrum Ruszel l. 2. de S. Cruce parte 1. c. 1. 2. 3. & 4. Hæc ligna & positio eorum exprimuntur his versibus.

6. Pes Crucis est Cedrus. Corpus tenet alta Cupressus. Palma manus retinet, Titulus lætatur Olivâ.

7. Antequam poneretur Columna pro sustentanda tabula tituli, Crux Domini erat adinstar T. Ita Innocentius III. in Præfatione ad Patres Concilij Lateranēsis Tau (ait) est ultima litera Hebraici Alphabeti exprimens formam Crucis, qualis erat antequam Domino Crucifixo Pilatus titulum superponeret. V. P. M. Ruszel loco cit. c. 7.

8. Secundùm Ludolphum Carthusianum

sum de vita Christi 2. p. c. 63. Pars superior Crucis signat januæ Cæli apertionem, inferior inferni destructionem, à dextris gratiæ collationem, à sinistris peccatorum remissionem.

9. Christus D. non fuit totus nudus in Cruce. Ita S. Anselmus de Passione D. & multi alij apud Ludolphum Carthusianum, p. 2. c. 58. & 63. Alij SS Patres qui oppositum sentire videntur loquuntur de nuditate moraliter omnimoda, qualem cenictur habere existens in balneis, licèt aliqua pars tegatur, parum enim pro nihilo reputatur. Rationem dat Consalv⁹ Duranthus l. 1 c. 17. quod Christus D. coram Sanctissima Matre, alijsq; mulieribus sanctitate conspicuis sic apparere noluerit. Flagellatus tamen nudus omnino fuit, ut patet ex revelatione S. Birgittæ l. 1. c. 10 *ibi, alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est stabat & patiebatur erubescentiam suæ nuditatis.* Vide P. M. Ruszel l. 1. p. 1. c. 18.

DISTINCTIO VII.

Circa quintum Articulum.

Hoc Articulo proponitur victoriosus Descẽsus ad inferos, & gloriosa Resurrectio à mortuis.

1. ANima Christi D. tanto tempore fuit apud inferos, quanto corpus in sepulchro. S. Th: 3. p. 52. a. 4. Horâ autem Resurrectionis eduxit Christus Dominus de lymbo Patrum animas, & die Ascensionis in cælum perduxit. De loco damnatorum & cum solo originali decedentium (nam & hi sunt essentialiter damnati) nullum eduxit, S.Th: l. c. a. 6. & 7. De purgatorio illos tantùm, qui erant sufficienter purgati, vel etiam, qui dum adhuc viverent, meruerunt per fidem & devotionem ad mortem Christi D, Vt eo descendente, liberarentur à temporali purgatorij pœna S. Th: l. c. a. 8.

2. Ex his patet præter cælum quatuor esse receptacula animarum. Primum, ubi damnati, pœna damni, id est carentiâ visionis beatificæ, & pœna sensûs torquen-

quentur. Secundum, locus Purgatorij, immediatè existens supra damnatorum infernum. Tertium, lymbus puerorum cum solo originali decedentium. Quartum, lymbus Patrum, à quo Christus D. animas antiqui testamenti sine originali & mortali decedentium eduxit. Ita hæc receptacula ordinat Samuel de Lublino V. Purgatorium, & sentit ignem inferni, qui in profundo cruciat damnatos, ascẽdere ad purgatoriũ, qui tamen ad decedentes cum solo originali non ascendit, cùm hi pœnam damni tantùm patiantur, multò minus ascẽdebat ad Patres in lymbo. Hæc circa descensumad inferos.

3. Circa Resurrectionem hoc inter alia sciendum, ideo Christum D. retinuisse Sacras cicatrices. 1. ad majorem sui gloriam. 2. ad confirmandum corda Discipulorum circa fidem suæ Resurrectionis. 3. Vt Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendât. 4. Vt suâ morte redemptis, quàm misericorditer sint adjuti, propositis ejusdem mortis indicijs

dicijs insinuet. 5. Vt in judicio, quàm justè damnentur ibidem denuntiet. ita S. Th: 3. p. q. 54. a. 4.

DISTINCTIO VIII.

Circa sextum Articulum.

De Triumpho Ascensionis in Cælum, & Throno sessionis à dextris æterni Patris.

1. QVi resurrexerunt Matt: 27. no ascenderunt in corporibus cum Christo. S. Th: 3 p. q. 53. a. 3. ad 2 ex S Aug. Et sic solus Christus D pe fectâ Resurrectione, id est, non moritu rus, ante universalem resurrectionem resurrexit. Ex privilegio B. V. M. & p creditur de S. Joanne Evangelista, ait Thom: opusc: sexto explicando præse tem articulum.

2. Si loquamur de Christo D. ut D *sedet ad dexteram Patris*, idem est ac in æqualitate Patris. Si loquamur ut homine, *sedet ad dexteram Patris*, id est in bonis paternis potioribus præ teris creaturis, id est, in majori beat

dine,

dine, & habens judiciariam potestatem. S. Th: 1. p. q. 58 a. 3. & 4. Et sic per dexteram Patris intelligitur, gloria Patris, beatitudo & potestas judicaria.

DISTINCTIO IX.

Cica septimum Articulum.

De extremo Judicio.

1. LIcèt in morte subeamus judicium particulare, necessarium tamen judicium universale, ut omnibus innotescat justa Supremi Judicis de factis nostris sententia. Colligi potest exScripturis quòd Christus D. ad judicium universale sit descensurus, circa locum Montis Oliveti, sicut & inde ascendit. Præeminet autem Mons Oliveti Valli Josaphat. Scias ex B. Alberto Magno in Compendio Veritatis Theologicæ l. 7. Christus D. sedebit in loco eminenti cum Sanctis, mali verò subtus in terra quam dilexerunt.

2. Sol & Luna non obscurabuntur tempore Adventûs Christi D. quia totus mundus innovabitur Christo D. veniente

niente & Sanctis resurgentibus. Obscurabũtur ergo tempore propinquo ante judicium. vel simul, vel diversis temporibus, S. Th: in supp: 3. p. q. 73. a. 2.

3. Omnes ante diem judicij morientur. Quia omnes homines DEI sententiâ morti adjudicati sunt propter peccatum. S. Th: in supp: 3. p q. 78. a. 1. Quando autem in Symbolo dicitur, *venturus est iudicare vivos & mortuos*, per vivos non intelliguntur qui nunquam mortui, sed qui tempore propinquo & signorum vi mortui, S. Th: loco cit: ad 1.

4. De igne ultimæ conflagrationis hæc è multis scienda. 1. Ignis occupabit tantùm de spatio, quantùm occupaverunt aquæ diluvij, & sic quindecim cubitis erit altior montibus. S. Th: in supplemento 3. partis q 74. a. 6. Quare non perveniet ad sphæram ignis, nec purgabit elementum ignis, S. Th: loco cit. 2. Post judicium involvet malos, S. Th: l. c. a. 7. Quicquid de illo igne calidum, ustivum & impurum reperietur, descendet ad inferos ad augendam

pœnam

pœnam malorum, quicquid verò subtile & lucidum, remanebit superiùs ad augendam gloriam Beatorum. S. Th: a.9. immò quicquid ignobile in mũdo ad locum pœnarum confluet. B. Albertus M. in Compendio Veritatis Theologicæ L.7. c. 20. Ex dictis intelliges durante judicio mundus stabit in igne conflagrationis, ut etiam docet Dionis: Car: Dominica 1. Adventus in enarratione Evangelij.

5. De Cruce quæ tempore judicij apparebit sequentia habet Carth: loco cit: serm: quinto. *Tunc apparebit Crux Christi, atq; ut aliqui volunt reintegrabitur. vel aliquid lucidum in Crucis specie apparebit.*

6. Docet Philippus à S. Trin: tract: 2 in 1. 2. disp: 9. duo. 5. ad 2. Sententiæ finales sc. *Venite benedicti &c. ite maledicti &c.* tantùm dirigentur ad adultos. Nam in ultimo judicio tantùm fiet mentio operum bonorum ad laudem, & malorum ad confusionem.

7. Et sic sententia à Christo Dño contra reprobos fulminanda, contra mor-

tuos in ſolo originali, licèt in judicio apparebunt, non dirigetur, quàmvis hi ſint eſſentialiter damnati, utpotè carentes viſione Dei. In carentia enim claræ viſionis Dei conſiſtit eſſentialiter damnatio, ſicut in clara viſione Dei, conſiſtit eſſentialiter beatitudo.

8. Pœnam damni & ſensûs patientur damnati. Per pœnam damni intelligitur amiſſio ſeu carentia beatitudinis æternæ, per pœnam ſensûs intelligitur, quæ inferendo aliquid nocivum ſive corpori, ſive animæ, torquet & affligit. Dicitur autem pœna ſensûs quamvis anima torqueatur, quia nocumenta nociva potiſſimùm ſenſibus percipiuntur. Ex his pœna damni, utpote amiſſo ſummi boni, eſt major, quam ſolam experiuntur morièntes, cum ſolo originali decedentes. pœna enim ſensûs ſolùm per peccatum perſonale contrahitur ſecundùm S. Bernardum dicentem, in inferno ſolam propriam ardere voluntatem.

9. Pro coronide circa præſentem articulum quæritur quomodo innovabitur mun-

mundus? Vide Carthusianus Dominicâ 1. Adventûs serm: 4. *Complanabitur terra, erit pulchra ut aurum, aqua sicut chrystallus. aër ut cælum igni ut sidera lux Lunæ erit septemplex, seu tanta ut modò Solis lux Solis septies tanta ut nunc. Siderum quoq; lux proportionaliter tunc creditur augenda. Sol perpetuò stabit in oriente. Luna iugiter plena erit in occidente, & motus cessabit cælorum, eruntq; omnia in termino.* Ita ille, quem Cardin: Bellarminus doctissimum & sanctissimum vocat. S. tamen Thomas in supplem. 3. p. q. 91. a. 4. docet, terram fore in superficie perviam ut vitrum. Sic ergo terra & cælum, quoad accidentia, transibunt.

DISTINCTIO X.

Circa octavum Articulum.

Credo in Spiritum Sanctum.

1. NOmen Spiritus S. duobus modis sumitur. 1. complexè seu ut compositum ex duabus distinctionibus. 2. ex usu Ecclesiæ, incompiexè seu per mo-

dum unius dictionis. Primo modo eſt commune tribus Perſonis, quia quælibet & Spiritus & ſancta. Secundo modo, ſoli tertiæ perſonæ convenit. Quo nomine congruè ab Eccleſia nominatur, quia ſpiritus à ſpirando eſt quidam impulſus, Spiritus autem S. procedit ut impulſus, cùm procedat ut amor, qui eſt, impulſus ſeu inclinatio in rem, ſecundùm illud. *Amor meus pondus meum, eo feror, quocunq; feror.*

2. Hæc inter alia de Spiritu S. credenda. Eſſe conſubſtantialem ſeu ejuſdem naturæ cum Patre & Filio. Procedere à Patre & Filio.

3. Spiritus S. in ſpecie columbæ ſu. per Chriſtum Dñum baptizatũ apparuit, ad deſignandam diſpoſitionem requiſitam in baptizando, ſc: nè fictus accedat. S. Th: 3. p. q. 39. a. 6. ad 4. In igneis verò linguis ſuper Apoſtolos, ad deſignandum fervorem, quo corda Apoſtolorum erant commovenda, ad prædicandum Chriſtum Dominum ubiq; inter preſſuras, S. Th: loco citato.

DISTIN-

DISTINCTIO XI.

Circa nonum Articulum.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, SS. Communionem.

1. ECclesia dividitur in militantem, purgantem & triumphantem. Militans timet & expectat. Purgans, tantùm expectat. Triumphans ab utroque libera.

2. Ecclesia militans est *societas visibilis fidelium baptizatorum sub uno capite Christo in cælis, & Vicario eius in terris, inter se eodem cultu communicantium.* Hæc vocatur regnum Dei, sponsa Christi, corpus mysticum Christi.

3. Quatuor sunt notæ & conditiones veræ Ecclesiæ à Concilio Nicæno expressæ, ibi: *Credo unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Addunt aliqui quintam sc: Romanam. Sed hæc non tam est nota, quàm subjectum prædictarum notarum. Has explico in sententiis Thomisticis in 3. d. 57.

4. Etiam peccatores quàmvis sint ex

reprobis seu damnandis, modò sint fideles, pertinent actu ad Ecclesiam, secus hæretici. De fidelibus excommunicatis dubium, sed probabile puto pertinere ad Ecclesiam ut doceo in præfato opusculo. l. 4. d. 13.

5. Aliqui per communionem Sanctorum intelligunt congregationem fidelium. In primitiva enim Ecclesia fideles etiam peccatores dicebantur Sancti ob sanctitatem Ecclesiæ cujus erant membra. Et sic hæc pars articuli solùm ponitur claritatis gratiâ.

6. Sanctus Thomas Opusculo 6. circa præsentem articulum per communionem Sanctorum, intelligit participationem tum bonorum Chisti Dñi utpotè Capitis, qualia sunt Sacramenta & merita ejusdem, tum bonorum Fidelium adinvicem. Nam bonum Christi communicatur omnibus Christianis, sicut virtus capitis omnibus membris. Et sic communicantur nobis Sacramenta & merita Christi. Item quicquid boni faciunt omnes justi communicatur in charita-

ritate existentibus, secundùm illud, Psal: 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Et inde, qui in charitate vivit particeps est omnis boni quod fit in toto mundo. Sed tamen specialiùs illi pro quibus specialiùs fit aliquod bonum.

7. Et sic per ly *Sanctorum* intelligi possunt res sacræ, ut sunt merita Christi Domini Sacramenta, dona gratiæ, doctrinæ Christi D. Intelligi etiam possunt homines justi, qui ad invicem de bonis operibus participant, quemadmodum in corpore naturali operatio unius membri cedit in bonum totius corporis.

8. Fit autem hoc modo hæc participatio bonorum operum, quòd benefacta justorum subveniant aliis in necessitatibus, defendant in periculis, confirment in bonis. Sumitur ex Synodo Colonensi in præsenti.

9. Hæc communio bonorum extenditur ad purgatorium. cùm animæ ibidem existentes uniantur nobis per charitatem.

10. Participant etiam mali de bene-

factis justorum, non quidem ut justi per quandam derivationem cùm sint membra mortua, sed per impetratrionem, quâ sæpè auxilia divina resurgendi à peccatis conceduntur, auxilia inquam efficacia. Participant item de benefactis justorum, inquantum intuitu horum sæpè evadunt afflictiones & vindictam Dei.

11. Ex dictis patet, in hac communione Sanctorum fundari indulgentias vivorum & suffragia mortuorum.

DISTINCTIO XII.

Circa decimum Articulum, Remissionem Peccatorum.

1. NOn datur tam immane scelus, vel tantus peccatorum cumulus qui non possit per pœnitentiam deleri. Nam dicitur Joëlis 2. *Deus præstabilis super malitia* idest, misericordia & bonitas divina vincit quamlibet malitiam peccatoris. Peccant contra hunc articulum, de misericordia Dei desperantes.

2. Quando Marc. 12. dicitur, peccatum in Spiritum Sanctum neque in hoc sæculo neq; in futuro remitti, non est sensus, quòd nullatenus remittatur, sed difficulter, quia fontem gratiæ & pietatis sc. Spiritum Sanctum fastidit ac repellit. Sicut morbus lethalis & insanabilis dicitur, qui difficulter curatur. & quo ægrotus medicinam odit & Medicum abominatur

3. Vnum peccatum mortale nequit remitti sine alio. Quia dum peccatum mortale remittitur gratia sanctificans infunditur, quæ nullum peccatum mortale compatitur.

4. Seclusâ revelatione scire certò non possumus peccatum nobis esse remissum. Conjecturali tamen notitiper aliqua signa id fieri potest. Hæc autem signa, quòd aliquis percipiat se delectari in Deo, & contemnat res mundanas, & non sit conscius alicujus p. morâ talis. S. Th: 1. 2. q. 112. a. 5. Signa quibus conjecturaliter cognoscitur prædestinatio, recito in 1. Sent. Thomisticarum dist. 21,

DISTINCTIO XIII.

Circa undecimum Articulum.

Carnis Resurrectionem.

1. RESurrectionis nostræ habem' symbolum in rebus naturalibus Nam granam seminatum corrumpitur putrescit & moritur, postmodum repullulat, reviviscit & resurgit.

2. Hæc circa corpora resurgentium ex S. Th: Opusc: sexto circa præsentem articulum sunt scienda. 1. Idem corpus quod nunc est, & quantùm ad carnem & quantùm ad ossa resurget. 2. Corpora resurgentia erunt alterius qualitatis, quàm nunc sint, quia non solùm beatorum sed & damnatorum erunt incorruptibilia, quia boni semper erunt in gloria & mali semper erunt in pœna. 3. Omnes, boni & mali cum omni integritate ad perfectionem corporis pertinente resurgent, non enim erit ibi cœcus vel claudus, nec aliquis defectus. 4. Omnes resurgent in ætate perfecta, qualis fuit ChristiDñi. ultimas duas par-

tes docet B. Albert: M. loco mox citando. De primis enim duabus non est difficultas.

5. Hæc circa qualitatem corporum. Bonorum scienda ex S. Th: loco cit: Sancti habebunt corpora glorificata, in quibus erit quadruplex conditio (aliàs, dos) prima est claritas secunda impassibilitas. tertia agilitas. quarta subtilitas. Adverte ex Philippo à SS. Trin disp: 6. in 1. 2. tract: 1. dub: 3. per hanc dotem non habet corpus gloriosum esse in eodem loco cum alio corpore, sed habet quòd facilè possit partes dvidere & per eas se intromittere. Allegat S. Thomam V. citatum l. c.

6. Circa qualitatem verò corporum malorum, hæc sunt scienda, ex S. Th: l. c. 1. Corpora eorum erunt obscura. 2. passibilia, licèt nunquam corrumpantur. 3. gravia. 4. adinstar putridorum.

7. Per tubam ad cujus sonitum resurgemus intelligit S. Greg: relatus à B. Alberto M. in Compendio verit: Theologicæ l. 7. c. 16. manifestam Christi appa-

apparitionem. videlicet ut habet vim cu juídam imperij. S. Thom: in Supp: 3. p. q. 76. a. 2. intelligit vocem imperantem Christi Domini. Secundùm alios intelligitur ministerium Angelorum in colligendis, cineribus.

8. Satis probabiliter à quibusdam dicitur, quòd resurrectio erit crepusculo. Sole existente in Oriente & Luna in Occidente, quia in tali dispositione, Sol & Luna creduntur esse creata; ut sic eorum circulatio compleatur penitus per reditum ad idem punctum. Vnde de Christo dicitur, quòd tali horâ resurrexit, ita in terminis S. Th: loco c. q. 77. art: 3.

DISTINCTIO XIV.

Circa duodecimum Articulum.

Vitam æternam.

1. AD vitam æternã omnes homines creati, Deus enim vult omnes salvos fieri. Non tamen omnes pervenient ad vitam æternam, immo pauciores, mul-

multi enim sunt vocati, pauci electi, immo ex Christianis pauciores salvabuntur, tanquam probabiliùs docet Philippus à Ss. Trin disp: 17 in 1. p dub: 4. sequens Cajet & refert S. Greg: M. S. August: S. Hier. & Chrisostomum. Hæc perditio erit ex nobis. Cur ergo Deus hos creavit quos futuros malos præscivit? respondet Magister Sent: in 2. d. 13. quia prævidit quid boni de eorum malis esset facturus.

2. Vita æterna seu beatitudo nostra consistit in clara visione Dei. Dicit enim S. P. Aug: in Soliloquiis C. 36. *Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis videre faciem Dei sui.* Vident autem Beati non solùm essentiam Dei, sed & alia quæ sunt formaliter & eminenter in Deo. Formaliter sunt attributa & relationes, eminenter creaturæ.

3. Proprietates vitæ æternæ seu beatitudinis hæ sunt. 1. Felix amandi necessitas. 2. Summum gaudium seu delectatio. Primò gaudent Beati de bono divino in se considerato. Secundo de

bono

bono proprio, & felicitate qua potiuntur, ut tamen relata ad Deum tanquam ad ultimum finem. 3. Felix impotentia peccandi. 4. Perpetuitas.

4. Dotes animæ beatæ, sunt, visio, comprehensio seu tentio & delectatio. Intelligunt autem Theologi per has dotes, ornamenta quædam seu dispositiones animæ, elevantes eam ad statum dissimilem vitæ, & conjunctionem spiritualem cum Deo. Harum explicationem ulteriorem vide in 4. Sent: Thomisticarum dist: 59.

5. Tres etiam sunt aureolæ Beatorum, sc. Martyrij Virginitatis & Doctoratûs: Est autem aureola gaudium quod Beati habent ex victoria de mundo, carne, vel diabolo, sicut aurea vocatur, tum Ipsa beatitudo, tum gaudium de beatitudine. Aureola Martyrii est gaudium ex victoria de mundo. Virginitatis, ex victoria de carne. Doctoratûs ex Victoria de Diabolo, qui per doctrinam ab hominibus pellitur. Hæc debetur etiam Confessariis & Scriptoribus, ea quæ ad

salu-

salutem dirigunt, scribentibus. Ex his nobilior Martyrii, deinde Virginitatis, tandem Doctoratûs.

6. Q. V. Aureola differat à fructu? scias, nunc de fructu sermo est, secundùm quod ex semine consurgit, spiritua-le autem semen est verbum Dei, ℟. ergo sic loquendo de fructu, fructus verbi Dei differt ab aurea, & ab aureola: quia aurea consistit in gaudio, quod habetur de Deo, aureola verò in gaudio de operum perfectione, sed fructus consistit in gaudio quod habetur de ipsa dispositione operantis secundùm gradum spiritualitatis, in quem proficit homo ex semine Verbi Dei. S. Thom: in supp: 3. q. q 96. a. 2. Id est, fructus consistit in gaudio quod habetur de utilitate, ex perceptione Verbi Dei, hominem quodammodo spiritualizantis. Hic fructus soli continentiæ correspondet: hæc enim præcipuè liberat hominem à subjectione carnis, & quodammodo hominem spiritualizat, ratione cujus fructus homini respondet. S. Th: loco cit. a. 5.

Et

Et hæc de vita æterna, quæ de numero Novissimorum (hæc autem sunt 4. sc. Mors. Judicium. Infernus. Gloria cælestis) & de Symbolo Apostolorum, in honorem Capitis Apostolorum.



OPUSCULUM SECUNDUM.
De Virtutibus & ijsdem annexis.

PROLOGUS.

VIrtus est *bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus male utitur.* ex S. Th: 1. 2. q. 55. a. 4. Dividitur in intellectualem, moralem; & Theologicam Intellectualis est illa quæ perficit intellectum ad cognitionem veri. Moralis, quæ voluntatem complet ad

ad prosecutionem boni honesti. Theologica, quæ circa Deum immediatè versatur. Intellectualis subdividitur in habitum primorum principiorum. sapientiam. scientiam. artem & prudentiam. De natura harum vide dicta in 3. Sent: Thomisticarum distinct: 52. Moralis subdividitur in 4, Candinales tanquam principales, sc. prudentiam. justitiam. fortitudinem & temperantiam. Theologica in Fidem. Spem & Charitatem.

DISTINCTIO I.

De Fide.

1. Fides, aliàs prima virtus requisita in Christiano, est *habitus supernaturalis quo certè credimus veritates à Deo Ecclesiæ revelatas.* Definitio apud S. Paulum (*fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*) utpote profundior, relinquitur Scholasticis. V. S. Th. 2. 2. q 4. a. 1. Inter alias prærogativas fides sua certitudine superat omnium scientiarum naturalium certitudinem

nem, & sic circa res fidei nulla debet esse vacillatio.

2. Fides, alia est formata, alia informis, illa est in hominibus justis, hæc in peccatoribus. Alia explicita, alia implicita. Hæc est quâ creduntur veritates in alio, v.g. credo quicquid credit Ecclesia. Illa est quâ quis credit veritates fidei in seipsis distinctè, v. g. Trinitatem Personarum Divinarum. Incarnationem, &c.

3. Credere Deo, Deum & in Deum sic differunt. Credere Deo, est firmiter tenere vera esse quæ revelat. Credere Deum, est firmiter tenere Deum esse. Credere in Deum, est credendo tendere in Deum, tanquam in ultimum finem: & sic nequit dici credo in B. V. Mariam.

4. Ad eliciendum actum fidei hæc requiruntur. Ex parte intellectûs præter habitum fidei, requiritur illustratio actualis. Ex parte voluntatis pia affectio, ex gratia Spiritûs Sancti in doctrinam Christi concepta. Et hoc est vocari ad fidem interiùs. Aliquando præter hæc voca-

vocamur ad fidem per prædicationem exteriùs.

5. Hæc ex multis sunt motiva quæ faciunt fidem nostram credibilem. 1. Quòd modo mirabili fides Christiana per mundum propagata. Mirabili inquam modo, quia celeriter per paucu los Piscatores, pauperes, contemptibiles, ante rudes, qui non solùm homines rudes, sed & suo tempore doctissimos, & principes ad fidem Christi traxerunt. 2. Quòd multis magnisq; miraculis fides nostra á Christo ejusq; Discipulis confirmata. Id præter alia constat ex quatuor Evageliis, ubi, cæci, muti, surdi &c. leguntur sanati. 3. Quòd inter Doctores Ecclesiæ tanta circa fidem concordia, ut etsi diversarum nationum fuerint, diversisq; sæculis floruerint, idem tamen docuere. Plura motiva videantur apud Theologos,

6. Sicut qui uno peccato mortali Deum offendit amittit totaliter charitatem, ita qui uni articulo discredit amittit totaliter fidem S. Th. 12. q. 5. a. 3.

7.

7. Præter sacram Scripturam aliquæ traditiones non scriptæ ad regulam fidei pertinent. Patet ex S: Paulo 2. ad Thess. 2. *Itaq; fratres state, & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem sive per Epistolam nostram.*

DISTINCTIO II.

Quæ tenetur Christianus scire & credere.

1. Christiani à Christo cujus fidem profitentur, dicuntur. Primò autem sic vocari cœperunt Antiochiæ, cùm antea vocarentur Fideles, Discipuli, Fratres, Sancti, Galilæi, & Nazaræi à Jesu de Nazaret Galilæo.

2. Tenetur quilibet Christianus necessitate medii credere explicitè hæc duo principia, Deum esse & esse remuneratorem.

3. Suppositâ sufficienti promulgatione Evangelii, tenemur eâdem necessitate credere explicitè mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis & Redemptionis,

immò

immò Philippus à SS. Trinitate disp: 4. in 2. 2. disp: 5. citans S.Bonav: & Bonacina circa 1. Decalogi præceptum. q. 2. punc: 2. cum M. Bannez, idem docent de Morte & Resurrectione Christi Dñi. Alios articulos tenemur credere necessitate præcepti. Quomodo distingvatur necessitas medii & præcepti patebit ex dicendis de Baptismo.


4. Tenemur necessitate præcepti de B·V.M. credere. Verbi Divini Incarnationem in ejus utero. Esse Virginem. Matrem Dei.

5. Tenemur necessitate præcepti scire tria Sacramenta, sc. Baptismum. Eucharistiam. Pœnitentiam. Reliqua tunc quando recipimus. Præcepta Decalogi. Præcepta communia Ecclesiæ, maximè cõfessionis & communionis annuæ, immortalitatem animæ. Peccatum originale. Necessitatem gratiæ. Deum esse orandum, consequenter scienda oratio Dominica. Deum esse timendum, cùm possit mittere in gehennam.

6. Quamvis Fidelibus svadendum, ut

ut Symbolum, Decalogum, Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam explicitè sciant & memoriâ teneant, sicut & signaculũ Crucis, non tamen est mortale illa nescire, dummodo illorum substantia sciatur. Ita docet de primis quatuor Suarez, & de ultimo Sanchez, relati in Summa Dianæ V. Fides. Et sic quoad orationem Dominicam sufficiet scire ejus summam, sc: à Deo omnia esse petenda Quoad Symbolum Apostolorum, Sacramenta, Decalogum & Ecclesiæ præcepta sufficiet quòd rogati de singulis sciant respondere.

7. Nec sufficit ad æternam salutem prædicta credere, sed sunt adhuc nonnullæ obligationes. 1. Exigente occasione mori pro fide. 2. Agere Deo gratias pro ad fidem vocatione. 3. Imitari vitam Christi, quæ habenda pro speculo quotidiano.



DISTIN-

DISTINCTIO III.

De Spe.

1. SPes eſt *habitus ſupernaturalis, quo certò ſperamus beatitudinem ex auxilio Dei.* Vel ſecundum Magiſtrum Sententiarum in 3. d. 26, *Eſt expectatio certa beatitudinis proveniens ex gratia Dei & meritis noſtris.* Quod autem aliqui habentes ſpem deficiant à conſecutione beatitudinis eſt ex defectu liberi arbitrii ponentis obſtaculum ſc. peccatum, non autem ex defectu Divinæ potentiæ & miſericordiæ. S. Th: 2. 2. q. 18. a. 4. Ex quo intellige, fundamentum certitudinis ſpei eſſe omnipotentiam & miſericordiam Dei.

2 Spes dicitur ex meritis provenire, quantùm ad ipſam rem expectatam, prout aliquis ſperat beatitudinem ſe adepturum ex gratia & meritis, non autem dicitur provenire ex meritis quantùm ad entitatem: ſic enim ex ſola gratia infunditur.

3. Ex dictis patet ſpem conſiſtere in hoc, quòd homò innitens auxilio Divi-

no confidat benè agendo ad æternam beatitudinem pertingere.

4. Licet sperare in creatura ut secundario juvante, & sic B. V. Maria dicitur nostra spes. Licet etiam confidere in propriis meritis ut proficiscuntur ex gratia Dei.

5. Hos effectus causat in nobis spes beatitudinis æternæ. Facit nos observare mandata Dei. Scias. Licet benè operari intuitu retributionis æternæ, secundùm illud Psalmi 118, *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*. Hinc meritò Alexander VIII. sequentem in ordine decimam damnavit propositionem, annò 1690. die 7. Decembris. *Intentio quâ quis detestatur malum & prosequitur bonum, merè ut cælestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens*. Meritò inquam damnavit. 2. Spes beatitudinis æternæ consolatur nos in tentationibus & aliis afflictionibus. 3. Tollit anxietatem in morte.

DISTIN-

DISTINCTIO IV.

DE CHARITATE.

Hæc virtus est maximè necessaria Christiano, cùm ut patet ex Apost: 1. ad Corint: 13. nihil sine ch. ritate simus.

1. CHaritas est virtus (vel potiùs habitus) supernaturalis quo Deum diligimus ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, & proximum sicut nos ipsos. Dixi: vel potiùs habitus, assignando aliud genus, in gratiam eorum qui sciunt quid sit habitus. idem erat advertendum in definitione fidei & spei. Ex dicta definitione habes duo esse charitatis præcepta; unum de DEO, alterum de proximo.

2. Quando dicitur ex toto corde &c. non putes amorem DEI debere esse summum intensivè, sed appretiativè, ita ut pluris DEUM ames, quàm omnes creaturas simul sumptas.

3. Signum hujus amoris ordinarium,

ſumitur ex obſervantia mandatorum, & exercitio virtutum. Extraordinarium, ex præparatione animi, effundendi, pro fide, ſangvinem.

4. Charitatem eſſe formam aliarum virtutum, eſt per charitatem ordinari alias virtutes in ultimum finem. S. Th 2. 2. q 23. a. 8. Et ſic licèt fides & aliæ virtutes in peccatoribus ſint ſecundùm ſuam naturam & entitatem virtutes, nō tamen habent ſtatum perfectum virtutis, & ſunt veluti mortuæ, utpotè informes. Hâc ratione charitas eſt excellentiſſima omnium virtutum.

5. Nomine proximi intelligitur, qui nobiſcum communicat, vel communicare poteſt in beatitudine æterna. S. Th 22 q. 25. a. 10. Et ſic Angeli, inimici, peccatores veniunt nomine proximi. Quò etiam reducitur corpus noſtrum, cùm ſit aliquomodo particeps beatitudinis, inquantùm ex beatitudine animæ redundat quædam beatitudo in corpus, ſc. Sanitatis & incorruptionis vigor. S. Th. loco cit: a. 5.

6. Et

6. Et sic patet quæ sit ratio, cur aliquis, ut proximus à nobis diligatur. sc. communicatio in beatitudine æterna. Vlteriùs patet Dæmones & alios damnatos nomine proximi non venire. Possumus tamen naturam Dæmonum diligere, non quidem volendo bonum vitæ æternæ, sed ut conserventur in suis naturalibus ad gloriam Dei. S. Th: l. c. a 11. Eodem modo discurre de creaturis irrationalibus. S. Th: l. c. a 3.

7. His declaratur charitas erga proximum. 1. Non solùm verbo, sed & re juvare. 2. Infirmitatem supportare. 3. Gaudere in prosperis. 4. Compati in adversis. 5. Et quidem præcipuè, à peccato reducere. Ex quibus hæc etiam inimicis ostendēda, quæ alijs communiter ostenduntur. Sola enim signa amicitiæ specialia, possunt inimicis, excipe articulum mortis, denegari. S. Th: loco cit: a 9. Quod intellige per se loquendo. Nam si omissio signorum amicitiæ specialium esset caudalosa, aut per aliquid horum posses sine tuo incommodo,

inimicum tibi & DEO reconciliare, id omittere esset grave peccatum, vel etiam, si inæqualis persona soleret alium salutando prævenire, v.g subditus Prælatum, ut advertit P. Hermannus in Medulla Theologiæ Moralis l. 2. tr. 3. c. 2. dub: 2. ex P. Layman.

8. Quatuor sunt ex charitate diligenda sc. DEUS, Proximus. Corpus nostrum. Nos ipsi, S.Th: l. c. a. 12. Hic autem est ordo charitatis, ut post DEUM plùs homo diligat animam suam, quàm aliorum: deinde plùs animas aliorum, quàm proprium corpus, proprium verò corpus magis quàm corpora aliorum. S.Th. l. c. q. 26. a. 2. 3. 4. 5. Q. An aliquando obligemur elicere act' Fidei, Spei & Charitatis? ℟. quòd sic, saltem semel in anno. Sermo autem est de obligatione sub p. mortali, cùm loquamur de re magni momenti, v. 1. Sent: Mor: de 2. 3. 4.

DISTINCTIO V.

De Virtutibus Cardinalibus.

1. INter virtutes morales, hoc est, ad com-

componendos mores ordinatas, quatuor sunt principales, sc. prudentia, justitia, fortitudo & temperantia. Ideo vocantur cardinales, quia super eas volvitur tota conditionis humanæ ratio, eisq; veluti cardinibus, universa vitæ humanæ moles subnixa est.

2. Prudentia est *recta ratio agibilium*, seu est *virtus moralis, quæ præscribit quid hîc & nunc liceat, expediat aut debeat fieri secundùm rectam rationem.*

3 Nomine agibilium, primariò intelligēda sunt moralia, id est, ab bonos mores pertinentia, & ad finem moraliter bonum, id est, honestum conducentia. Secundariò intelligenda sunt, quæ pertinent ad commodum vitæ humanæ, & ad benè vivendi quomodocunq; rationem.

4. Justitia est *perpetua & constans virtus jus suū unicuiq; tribuens*, seu, est *virtus moralis, quæ jus suum unicuiq; tribuit.* Per jus hic & nunc intellige id quod debetur alteri secundùm æqualitatem, vel arithmeticam, ut in justitia commutativa, vel ge-

ometricam, ut in justitia distributiva, quæ potiùs dicenda proportio, quàm æqualitas.

5. Partes integrales justitiæ, hoc est, necessariæ ad officium integrum justitiæ, sunt, facere bonum & declinare à malo. Aliàs dicuntur officia justitiæ Christianæ.

6. Bonum & malum hic & nũc non sumuntur in generali, sic enim pertinẽt ad omnem virtutem: sed bonum sumitur ut habet rationem debiti ad proximum, malum verò ut habet rationem nocivi.

7. Patres subjectivæ seu species justitiæ sunt tres, Legalis, distributiva, commutativa.

8. Justitia legalis est *quâ damus bon communi quod suum est.* v. g. inimicus fac incursum contra civitatem, cives ex ju stitia legali & propter bonum commun obligantur ad sumenda arma.

9. Distributiva est *quâ damus unicui suum debitum secundùm merita.* v g. du vel tres concurrunt pro dignitate ob nen-

nenda, ex justitia distributiva oritur obligatio conferendi digniori.

10 Commutativa est, *quâ damus unicuiq; secundùm æqualitatem rei ad rem*, ut patet in emptione & venditione.

11. Fortitudo est *considerata periculorum susceptio & laborum perpessio*, vel aptiùs ex D. Th: Fortitudo est *virtus existens in irascibili, coërcitiva timoris & audaciæ moderativa instantibus periculis.* Duplex est actus fortitudinis, sc. aggredi & sustinere.

12. Temperantia est, *virtus, quæ moderatur appetitum circa delectabilia secundùm tactum & gustum prout rectam rationem decet, ob specialem honestatem, quæ est in tali moderatione.* P. Gonet: in Manuali Thomistarum de Virt: Cardinalibus c. 5. §. 2. Et sic temperantia propriè sumpta tantùm moderatur delectationes quæ sunt in cibo, potu & rebus venereis, idem ex S. Th:

DISTINCTIO VI.

DE DONIS SPIRITUS SANCTI *Beatitudinibus Evangelicis, & Fructibus Spiritus S.*

Quoad I.

1. DOnum Spiritûs S. generaliter sumptum est id *quod gratis à Spiritu S. ut à causa efficiente procedit.* Et sic omnes gratiæ & virtutes infusæ possunt dici dona Spiritûs Sancti.

2. Donum Spiritûs Sancti specialiter sumptum est, *specialis dispositio à Spiritu S. animæ impressa, quâ disponitur ut facilè ab eo ad opera extraordinaria moveatur.* Sed hujus explicatio ad Theologos Scholasticos, vide dicta in 3. Sententiarum Thomisticarum Distinct: 73.

3. Septem sunt dona Spiritûs Sancti, ut patet ex Scriptura Isaiæ 11. sc. Donum Sapientiæ, Intellectûs, Consilii, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis, Timoris Domini. Horum explicationem V. loco citato.

Quo-

Quoad II.

4 Beatitudines Evangelicæ ſunt quidam *actus donorum Spiritus S. quibus ex instinctu & motione ſpeciali Spiritûs S. ad vitam æternam ſeu beatitudinem conſummatam accedimus*. Et ſic ſunt quædam inchoationes beatitudinis futuræ.

5. Beatitudines Evangelicæ ſunt octo 1. Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. 2. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. 3 Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. 4 Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabũtur: 5. Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam cõſequentur 6. Beati mundo corde. quoniam ipſi Deum videbunt. 7 Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur. 8 Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

6. Scias, beatitudinem ſecundam & ſeptimam non coincidere Nam ſecunda loquitur de homine ad ſeipſum, ex-

cludendo inordinatas passiones irascibilis: septima verò loquitur de homine cum respectu ad proximum, cum eo tranquillè vivendo.

7. Item scias, per luctum in tertia beatitudine intelligi exclusionem inordinatarum passionum delectationis & gaudij. In quarta per justitiam intelligitur vita æterna.

Quæsitum.

8. *Quomodo si tantùm sunt septem dona, ponuntur octo beatitudines? quæ ut docet S. Thom.* 1. 2. q. 69. a. 1. sunt actus donorum ℞. ex S. Th. l. c. a. 3. octavam beatitudinem pertinere ad septem præcedētes, quasi confirmationem & manifestationem earum: continet enim quādam firmitatem animi, ne propter humanas persecutiones homo recedat ab his, quorum in alijs septem beatitudinibus mentio habetur.

Quoad III.

9. Fructus (ut in præsenti sumitur) est *quidam actus quo mens humana bene disponitur*

nitur, procedens ex motione Spiritûs S. Ita loquitur P. Gonet de donis Spiritûs S. a 2.

10. Licèt omnis beatitudo Evangelica sit fructus, ut ex immediatè dicto patet, non tamen è converso: cùm beatitudo Evangelica, ut pote quâ specialiter ad vitam æternam accedimus, sit aliquid perfectum & excellens, S. Th: 1. 2. q 70. a. 2.

11. Fructus Spiritûs S. sunt duodecim ut patet ex S. Paulo ad Galatas 5. *Charitas*, id est, dilectio DEI super omnia. *Gaudium*, id est, delectatio in DEO, quam experiũtur alacriter DEO servientes. *Pax*, id est, tranquillitas conservativa præfati gaudij, non obstantibus turbinibus hujus vitæ. *Patientia*, id est, durorum sustinentia. *Benignitas*, id est, benefactorum collatio, seu executio. *Bonitas*, id est voluntas benefaciendi: Sumitur hic volũtas pro actu. *Longanimitas*, id est, magnitudo animi in futuris bonis expectandis. *Mansuetudo*, id est, motuum iræ exclusio. *Fides seu fidelitas*, id est, promissorum observantia. *Modestia*, id est, in dictis & fa-

ctis decentia. *Castitas*, id est, concupiscentiarum illicitarum remotio. *Continentia*, id est, concupiscentiarum licitarum, quales sunt in escis &c. moderatio.

DISTINCTIO VII.

De CONSILIIS EVANGELICIS.

1. Consilia Evangelica communiter numerantur tria. Voluntaria paupertas. Perpetua castitas. Humilis & perpetua obedientia Addit Lorichius in Thesauro utriusque Theologiæ, Martyrium. Si hæc voto firmantur, amittunt rationem consilij & induunt naturam præcepti.

2. Dicuntur consilia: quia sunt liberæ observationes, ita, ut sine earum observatione, & justus quis esse possit, & vitam æternam consequi, etsi valde difficulter, propter impedimenta varia in hoc mundo.

3 Dicuntur Evangelica: nam etsi fuerint in lege veteri non tamen cum tã perfectione & solemnitate ut in nova lege. vide Philippum à SS. Trin. in

1. 2. de Statu Religioso disp 6. dub: 1. ubi probat in lege antiqua Statum Religiosum verè extitisse.

4. Paupertas Religiosa est *Voluntaria rerum temporalium sub certa regula vel constitutionibus voto firmata abdicatio.* Castitas Religiosa *est perfecta omnis delectationis venereæ sub certa regula vel constitutionibus voto firmata remotio.* Obedientia est *prompta præceptorum Superiorum sub certa regula vel constitutionibus voto firmata executio.*

5. Ad paupertatem refertur vilis habitus & victus Item abdicatio omnium sæcularium negotiorum & officiorum. Ad perpetuam castitatem servandam referuntur, parcitas ac tenuitas victûs, vita solitaria & clausura, jejunia & strati vilitas Ad humilem obedientiam referuntur omnia quæ ad colendum DEUM pertinent, ut orationes, meditationes, sacrificia, laudes, gratiarum actiones &c. Ita Lorichius sub litera C. Attendant ad hæc Monachi & alij Religiosi & caveant ne signum prædestinationis vertant in signum æternæ damnationis:

statu

ſtatus enim Religioſus eſt ſignum præ-deſtinationis, ut docet S. Laurentius Juſtinianus de perfectione Monachorum cap: 7.

DISTINCTIO VIII.

Aſſignatur generalis diviſio bonorum operum.

1. TRia ſunt bonorum operum genera. Jejunium, Oratio, Eleemoſyna.

Quoad I.

2. Jejunium latè acceptum, eſt *corporis per abſtinentiam cibi & potûs vel in parte vel in toto, caſtigatio.* Specialiter ſeu pro Eccleſiaſtico ſumptum eſt *caſtigatio corporis certis diebus iuxta præſcriptum Eccleſiæ, conſiſtens in abſtinentia à carnibus, & una per diem cibi refectione.*

3. Jejunium Eccleſiaſticum tria requirit. 1. Vt ſemel in die comedamus, alias ſolvitur jejunium. 2. Requirit abſtinentiam à carnibus. Nomine carnis hic & nunc, veniunt etiam originem à carnibus trahentia, ut ſunt ova, caſei,

lac. Hæc non ubiq; prohibentur die jejunij. 3. Requirit debitam horam edēdi quæ eſt hora undecima. Vide dicta in 1. Sent: Moral: diſt: 19. ex quo patet jejunium plùs dicere quàm abſtinentia.

4. Dies in quibus ex præcepto jejunandum, ſunt dies Quadrageſimæ, exceptis diebus Dominicis. Apud nos incipit Quadrageſima à feria quarta Cinerum. 2. Quatuor anni tempora *cap ſtatuimus diſt: 76.* in quibus præcipitur jejunium trium dierum. 3. Præcipitur jejunare in quibuſdam Vigilijs, quæ ideò Vigiliæ dicuntur, quia Chriſti fideles ijs diebus non ſolùm jejunabant ſed & vigilabant, quod hoc tempore dignis de cauſis ſublatum eſt. Vigiliæ in quibus jure communi jejunatur, ſunt Vigilia Nativitatis Domini. Aſſumptionis B. V. M. *c. ex parte de obſervatione ieiunij.* In vigilijs tredecim Apoſtolorum, in quo numero comprehēndo S. Matthiam & S. Paulum, *c. conſilium de obſervatione ieiunij*, excluſá tamen non ſolùm vigilia SS. Philippi & Jacobi, in qua non jejunatur ob Paſcha-

lis

lis lætitiæ signum, sed & Vigilia S. Joannis Evangelistæ ob Natalis Domini Solemnitatem. In Vigilia Pentecostes jejunatur saltem ob receptam consvetudinem, quæ attendatur. *c. statuimus dist:* 76. idem dic de Vigilia S Joan Baptistæ & S. Laurentij ob longum usum moribus receptum. In alijs Vigilijs non est obligatio jejunandi nisi peculiaris aliqua consuetudo suadeat. Idem dic de Feria sexta & diebus Rogationum in quibus sub p. mortali non jejunatur, nisi consuetudo præcipiat. ita refert Bonac: de præceptis Ecclesiæ q. 1. pun: 5. propositione secunda. Reliqua de diebus jejunij, attendendo consuetudinem regni Poloniæ, dicentur DEO favente in fine Decalogi.

Quoad II.

5. Oratio est *ascensus & elevatio mentis ad Deum.*

Explicatur Oratio Dominica.

6. Dicendo *Pater noster*, charitatem DEI

DEI ad nos, quâ bonum noſtrum vult ut optimus Pater, conſideramus: dicendo *in cælis*, majeſtatem. Licèt enim ſit ubiq;, ſpecialiter tamen in cælis, ut dictum eſt tractando de objecto Symboli Fidei.

7. Oratio Dominica ſeptem habet petitiones

1. *Sanctificetur Nomen tuum.* Per hanc petimus gloriam DEI propagari.

2. *Adveniat regnum tuum.* Per hanc petimus gloriam DEI ad nos pervenire.

3. *Fiat voluntas tua.* Per hanc petimus ut ſimus obedientes DEO. *Sicut in cælo & in terra.* Hoc eſt, ſicut Angeli & alij beati in cælo, ita nos in terra.

4. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Per hanc petimus, & panem Sacramentalem ſc. Euchariſticum, cujus quotidianus uſus proficit nobis, in quo intelliguntur alia Sacramenta & dona. Et panem corporalem, per quem intelligitur omnis ſufficientia victûs & aliorum corpori neceſſariorum.

5. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos*

nos dimittimus debitoribus nostris. Per hanc petimus liberari à peccatis.

6 *Et ne nos inducas in tentationem.* Per hanc petimus, non tam carere tentationibus, quàm ne consentiamus illis.

7. *Sed libera nos à malo.* Per hanc petimus liberari à pœnalitatibus præsentibus, quæ impediunt sufficientiam vitæ.

Hæc explicatio sumitur ex S. Th: 22. q. 83. a. 9.

De Salutatione Angelica.

8. Salutatio B. V. dividitur in tres partes. Primam partem incæpit Angelus, cùm dixit. *Ave gratia plena Dominus tecum. benedicta tu in mulieribus.* Secundam subjunxit Elisabeth, cùm ait. *Et benedictus fructus ventris tui.* Tertiam apposuit Ecclesia, ut in reverentia Nomen MARIÆ haberetur. Nam MARIA non est in textu. Ita in terminis loquitur B. Albertus M. l. 4 Compendij veritatis Theologicæ c. 2. ubi plura reperies de prædicta salutatione Angelica Sciat, B.

Eli-

Elizabeth, non solùm dicta verba pronunciasse, sed & præmisisse *Benedicta tu inter mulieres*, ut narrat sacer text⁹ Luc. 1.

Quoad III.

9. Eleemosyna est alienæ miseriæ sublevatio. Quia autem homo sublevatur & secundùm corpus & secundùm animam, ideò duo sunt opera eleemosynæ seu misericordiæ, sc. corporalia & spiritualia.

10. Opera misericordiæ corporalia sunt septem. Esurientes pascere. Potum dare sitientibus. Operire nudos. Captivos redimere. Ægrotos invisere. Hospitio peregrinos suscipere. Mortuos sepelire.

11. Opera misericordiæ spiritualia sunt etiam septem. Peccãtes corrigere. Ignorantes docere. Dubitantibus rectè consulere. Pro salute proximi Deum orare. Consolari mæstos. Ferre patienter injurias. Offensam remittere, vide dicta in 1. Sententiarum Moralium d. 23. & 25.

OPU-

OPUSCULUM TERTIUM.

De Opposito Virtutum &c.

PROLOGUS.

1. AD notitiam peccati conducit notitia conscientiæ. Conscientia est *actus intellectûs practici, qui dictat de bonitate vel malitia eorum, quæ agimus, ut sunt à nobis hic & nunc.*

2. Dividitur ex parte objecti in rectam & erroneam seu veram & falsam. Ex parte actûs, in certam, quæ est absq; formidine. Probabilem quæ uni parti adhæret cum formidine oppositæ. Dubiam quæ nulli parti adhærens suspendit judicium. Scrupulosam, quæ uni parti adhæret cum timore oppositæ, ex levi fundamento.

3. Si conscientia scrupulosa includit judicium, non multùm differt ab erronea. Scrupulus tamen differt, quia hic

est inanis apprehensio, & hinc ortus timor & anxietas alicubi esse peccatum ubi non est.

4. Ad notitiam peccati etiam conducit notitia ignorantiæ. Hæc alia est juris alia facti. Exemplum primæ dum ignoro latam v. g. excommunicationem in percussorem Clerici. Secundæ, dũ percutio Clericum & nescio esse Clericum.

5. Item ignorantia alia est invincibilis alia vincibilis. Illa est, dum ignoramus quæ aut scire non tenemur aut non possumus. Hæc est dum ignoramus, quæ scire tenemur & possumus, eorumque antea aliquem saltem scrupulum habuimus.

6. Quando adhibuimus diligentiam sed non sufficientem est ignorantia culpabilis sed non crassa. Quando nullam, est ignorantia crassa.

DISTINCTIO I.

Explicatur definitio & divisio peccati in communi.

1. PEccatum est *dictum vel factum vel concupitum contra legem æternam.* S. P. Aug: Quoniam affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus, ideo coin-telligēdum est: peccatum quoque esse, non dictum quod secundum legem DEI dici debebat, & non factum quod fieri oportebat, in corde quoque omissum, quod desiderari amariq; debebat. Vtro-biq; enim est deviatio a statuto legis divinæ, quæ ab æterno existit in DEO, estq; *exemplar & regula agendorum per eos, qui subduntur gubernationi eius.*

2. Dividitur in personale & originale Personale est, *quod propria peccantis voluntate cōmittitur.* Originale, quod etiam naturæ dicitur, *quod communi voluntate primi Parentis, quæ totius humani generis censetur, est commissum.*

3. Dividitur 2. in actuale & habituale. *Actuale est actus malus & difformis regulis morum.* Habituale consistit *in quadam macula, quæ in anima relinquitur ex peccato actuali, & in ea remanet donec per pœnitentiam deleatur.*

4. In mortale & veniale illud *infert mortem animæ, eam privando gratiâ & charitate & avertendo ab ultimo fine.* Hoc verò *nec gratiâ nec charitate privat sed eius tãtùm fervorem minuit, nec avertit ab ultimo fine sed eius consecutionem retardat.*

5. In cõmissionis & omissionis. Peccatum commissionis *consistit in productione alicuius actûs mali & difformis regulis morũ.* Omissionis est *carentia seu privatio alicuius actûs debiti & lege præscripti.* primum pugnat cum præcepto negativo ponendo actum qui jubetur non poni. Secundum pugnat cum præcepto affirmativo, negligendo actum, qui præcipitur.

6. In carnale & spirituale. Carnale est *quod perficitur delectatione carnali,* v g. gula & luxuria, quæ in delectatione ciborum & venereorum consummãtur. Spirituale verò *perficitur delectatione spirituali,* ut superbia, invidia & similia, quæ in sola apprehẽsione alicujus rei concupitæ, vel ad placitum habitæ consummantur. Carnale plus habet de cõversione quàm de aversione. Spirituale plus de aversi-

one

one quàm de conversione: Ex quo inferas *peccatum esse aversionem à Deo & conversionem ad creaturam.*

7. In peccatum quod est contra DEUM, proximum & seipsum. *Quando homo detrahit Deo amorem & reverentiam debitam* dicitur peccare in DEUM, ut Sacrilegus, hæreticus, blasphemus. *Quando homo suas passiones ratione non regulat* peccat in seipsum, ut avarus, gulosus, luxuriosus. *Quando homo non servat proximo ius debitum, vel offendit humanam societatem* cui naturaliter alligatur, tunc contra proximum, ut fures, homicidæ, adulteri &c.

8. In peccatum cordis, oris & operis. Quæ divisio dupliciter intelligi potest, 1. ut per peccatum cordis illud intelligatur, *quod interiùs consummatur*, v. g. hæresis. Per peccatum oris, *quod locutione perficitur*, v. g. mendacium. Per peccatum operis, *quod opere completur*, v. g. adulterium & homicidium.

9. 2do hæc divisio intelligi potest ut sit non tam in diversa peccata, quàm in diversos gradus peccati. Iracundus enim

v. g.

v. g. ex hoc quòd appetat vindictam, primò perturbatur in corde. 2. in verba contumeliosa prorumpit. 3. procedit ad facta injuriosa idem patet in luxuria, & quolibet alio peccato, in quo est primò conceptio cordis, sc. cogitatio, deinde manifestatio & locutio, tandem completio externa.

10. Octavò dividitur peccatum, in peccatum ex infirmitate & passione, ex ignorantia & malitia. Peccatum ex infirmitate & passione est *quod oritur ex aliqua gravi tentatione & motione appetitûs sensitivi trahentis volũtatem ad consensum.* Peccatum ex ignorantia est quod procedit ex ignorantia *culpabili & vincibili.* Ex malitia, *quod plenâ libertate & voluntate committitur nulla passione incitante & nullâ ignorantiâ excusante* Primum peccatum dicitur contra personam Patris, cui appropriatur potentia. Secundum, contra personam Filij, cui appropriatur scientia. Tertium contra personam Spiritûs S. cui appropriatur bonitas.

11. Tandem dividitur in peccatum

proprium & alienum. illud est *quod ab ipso peccante committitur*. Hoc verò licèt ab alio committatur nobis tamen imputatur. Et hoc multipliciter. Vel ratione præcepti, vel consilij, vel suasionis, vel adulationis, vel protectionis, vel propter defectum correctionis. Hæc desumpta sunt ex N. Opusculo Sent: Moralium.

DE PECCATIS IN PARTICULARI.

DISTINCTIO II.

De Superbia.

1. DEscendēdo ad particularia: peccatum dividitur in septem capitalia, sic dicta, quia ab his alia oriuntur. Sunt autem: Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia.

2. Superbia est *appetitus inordinatus, hoc est* perversus appetitus, *excellētiæ*. Perversus autem erit, si fuerit contra rationis regulam. v. g. quia est aut de re falsa, aut mala, aut non commensurata appetenti, aut ob malum finem. Ex Nicolao

Mosci-

Moſcicenſi 2. p Tyrocinij Artis Pœnit: de Superbia.

3. Quatuor modis cōtingit ſuperbia. 1. Quando quis judicat quòd bonum quod habet, ex ſe habeat ſeu à ſe. 2. Quando judicat quòd bonum quod habet, ex DEO habeat, attamen ex ſuis meritis. 3. Quando jactat ſe habere quod non habet. 4. Quando quis ſingulis deſpectis, vult videri ſe ſingulariter habere, quod habet S. Greg: apud S. Th: 22. q. 162. a. 4.

4. Samuel de Lublino 2. p. caſuum Conſcientiæ duodecim filias aſſignat ſuperbiæ: Sunt autem, inobedientia, contemptus, præſumptio, ambitio, vana gloria, hypocriſis, jactantia, diſcordia, curioſitas, pertinacia, contentio & infidelitas; Moſcicenſis loco cit: addit novitatum inventionem: ſed hanc reducere poſſet Samuel de Lub: ad curioſitatem.

5. Inobedientia eſt vitium, *quo quis renuit facere quod iubetur.*

6. Contemptus eſt, *Quo lex, vel etiam ipſe legislator deſpicitur*, Quid ſit contem-

ptus formalis v. dicta in 4. Sent: Mor: d. 3. § Quæritur.

7. Præsumptio est, *per quam ex falsa aut nimia virium confidentia aggredimur excedentia nostram facultatem.*

8. Ambitio est *inordinatus appetitus honoris, aut dignitatis ratione honoris.* Dixi advertendo ex Sylv: V. superbia, *ratione honoris*: nam appetitus tantùm dignitatis pertinet ad præsumptionem secundùm S. Th: apud Getium v. Ambitio. Ex quo patet quomodo intelligẽdus Moscicensis definiens ambitionem etiam per dignitatem.

9. Vana gloria est *inordinatus appetitus claræ opinionis & laudis apud alios.* Scias pro nonnullorum consolatione, hæc tantùm est p: veniale, licet sit de falsis (dummodo non mortiferis) & transitorijs immoderatè, & licèt sit de bonis operibus, jejunio, oratione &c. quæ quis facit consultò propter vanam gloriam. Mosc. l. c. & Fernandez p. 4. de superbia n. 10.

10. Hypocrisis est *simulatio virtutis aut san-*

sanctitatis quam homo non habet. Addit Moscicensis loco cit: etiamsi hoc faciat bono fine, ne alios scandalizet, quia est mendacium. Dico tamen si velis cavendo scandalum te virtuosum repræsentare licèt non fueris, fac propositum emendandæ vitæ & tunc non mentieris.

11. Jactantia, *quâ quis se verbis extollit super illud quod est, vel quod homines opinantur de eo.*

12. Discordia est *voluntatum contrarietas circa aliquod unum, dum unum alicui placet, alteri verò displicet.*

13. Curiositas est *inordinatum desiderium sciendi, sive per intellectum, sive per sensum, ea quæ ad se non pertinent, vel si pertinent, maior tamen cura adhibetur in illis cognoscendis quàm par sit.* invẽtio novitatum *est excogitatio inusitatorum admirationem parientium,* ut fit in sustinendis novis opinionibus, in usu insolitæ formæ vestiendi convivandi &c.

14. Pertinacia est *persistentia in suo iudicio & asseveratione plusquàm oportet*

15. Contentio est *sermo contrarius al-*

teri, veritatem impugnans, non animo disputandi sed contradicendi.

16. Infidelitas est, *exclusio fidei.* Privativa tunc est, *dum quis nec credit, nec discredit, sed animum suspendit.* Contraria *dum quis discredit, aut credit esse falsa, quæ proponuntur.*

17. Scias pro meliori prædictorum notitia. Superbia dupliciter sumitur. Communiter ut se extendit ad excellentiam personæ, honoris, laudis, dignitatis, virium. Et specialissimè, ut se tantùm extendit ad excellentiam personæ sistendo in ipsa. sc. dum quis vult excellentior esse quàm sit, in quacunq; materia, ex quacunq; occasione, absq; eò quòd desideret dignitatem, & absq; eò quòd aggrediatur aliquod præclarum opus, vel affectet laudari.

18. Ambitio ergo præsumptio & similes, ita oriuntur & sunt filiæ superbiæ, intellige specialissimè sumptæ, quòd sint etiam species superbiæ communiter sumptæ. Et hæc de illis in recto potest prædicari: verum enim est Ambi-

tio est Superbia, seu inordinatus appetitus excellentiæ &c.

DISTINCTIO III.

De Avaritia.

1. AVaritia est *appetitus inordinatus habendi.* sc. divitias, aliasvè res temporales exteriores.

2. Avaritiæ filiæ sunt multæ ait Moscicensis 2. p. Tyrocinij Artis Pœnitentiariæ § de Avaritia, ex quibus septem ab aliquibus numerari solent. Proditio, Fraus. Fallacia seu dolus. Perjurium, quò revocatur mendacium. inquietudo. violentia & obduratio.

3. Proditio est *manifestatio alicuius occulti illativa nocumenti.*

4. Fraus est *deceptio alterius in aliquo facto, illativa nocumenti.*

5. Fallacia est *deceptio alicuius in verbis, illativa nocumenti.*

6. Perjurium est *mendacium iuramento firmatum illativum nocumenti.*

7. Inquietudo est, *inordinata temporalium solicitudo.*

8. Violentia est, *rapina seu extorsio bonorum.*

9. Obduratio seu immisericordia est, *duritia in pauperes denegando eleemosynam.*

DISTINCTIO IV.

De Luxuria.

1. Luxuria est *inordinatus appetitus venereorum.*

2. Sex sunt species Luxuriæ. Simplex fornicatio. Stuprum. Adulterium. Incestus. Raptus. Peccatum contra naturam. S. Th: 22. q. 154. a. 1.

Sacrilegium (quod est illicitus concubitus cum fœmina voto castitatis adstricta, vel in loco sacro, aut ab habente votum castitatis) non numeratur à S. Th: inter species luxuriæ, quia ex se directè pertinet ad irreligiositatem & reductivè ad luxuriam.

3. Simplex fornicatio est *illicitus concubitus soluti cum soluta non virgine in vase naturali.* Dicitur solutus cum soluta, idest, non existentes in Matrimonio, sive ra-

ve rato sive consummato. Ad hanc speciem reducitur concubinatus.

4. Stuprum est *defloratio virginis per fractionem claustri virginalis.* Differt specie à fornicatione, secundùm S. Th. l. c. a. 6.

5. Adulterium est *illicitus concubitus, vel coniugati cum coniugata, vel coniugati cum libera vel liberi cùm coniugata.* In primo aperienda est in confessione circumstantia utriusq; conjugati, quia injustitia duplex & æquivalet duplici peccato.

6. Incestus est *illicitus concubitus cum consanguinea vel affine usq; ad 4tum gradum inclusive.* Huc pertinet peccatum cum habente cognationem legalem, cum à se baptizata. Secundùm aliquos cum filia confessionis.

7. Raptus est *dum quis abducit fœminam à domo parentum vel eorum sub quorum cura est, aut à domo propria, si sit sui iuris, ipsâ invitâ ad fornicandum cum illa, aut Matrimonium contrahendum.* V. Trid: sess: 24. c. 6.

8. Peccatum contra naturam est *omnis actus libidinosus extra vas, aut contra modum à natura institutum.*

9. Peccati contra naturam quatuor sunt species. Mollities seu pollutio. Bestialitas. Sodomia. inordinatus concubitus.

10. Mollities seu pollutio est *voluntaria seminis effusio extra vas*. Potest habere speciem alterius libidinis, si quis in actu turpi delectetur de alio actu sive morosè, sive cum animo perpetrandi si posset, aut acsi defacto perpetraret.

11. Bestialitas est *coitus cum bestia* Ad bestialitatem reducitur coitus cum Dæmone succubo vel incubo: quia corpus assumptum à Dæmone non est verum corpus humanum.

12. Sodomia est *illicitus concubitus vel masculi cum masculo, vel fœmina cum fœmina.* Pollutio ex tactu personæ ejusdem sexûs reducitur ad Sodomiam.

13. Concubitus masculi cum fœmina in vase præpostero secundùm Armillam conformiter ad mentem D. Thomæ non est propriè Sodomia, sed potiùs concubitus inordinatus & monstruosus, consequenter specie distinctus à concubitu

bitu masculi cum masculo.

14. Tandem inordinatus concubitus tunc est, *quando non est debita corporum positio, vel quando non seminatur in vase, vel quando non adhibetur instrumentum debitum.* Primus concubitus si sit in vase debito & sine periculo effusionis seminis non est mortalis inter conjuges. Hæc sunt desumpta ex N. Opusculo Sent: Mor: l. 1. d. 26.

15. Ad hæc reducuntur. Turpiloquium. Auditus turpium sermonum. Lectio obscœnorum. Aspectus. Tactus causa voluptatis carnalis. Oscula eodem fine facta. Choreæ Motus sensualitatis De his consule Mosc p. 2. Tyrocinij Artis Pœnit. § de Luxuria & Sent. Mor: l. 1 d. 29.

16 Filias luxuriæ enumerat Samuel de Lublino & Gab: à S. Vinc: V. Luxuria sc: cæcitatem mentis, inconstantiam, inconsiderationem præcipitationem, amorem sui, odium DEI, desiderium præsentis vitæ & horrorem futuri sæculi.

17. Cæcitas mentis *impedit hominem*

ut non cogitet de cælestibus, nec sacras concio- nes, nec pia monita intelligat.

18. Inconsideratio *facit, ut homo sæpè agat, quæ suum statum dedecent, cùm non levi aliorum scandalo.*

19. *Præcipitatio impedit consilium de mediis necessariis ad actum bonum.*

10. Inconstantia *facit, ut homo non servet propositum maximè de vitæ emendatione.*

21. Amor sui, *quo homo plus seipsum diligit quàm Deum.*

22. Odium DEI, *quo voluntas expressè avertitur à Deo, displicendo de eius bono vel volendo ei aliquod malum.*

23. Horror futuri sæculi *facit ut homo cogitet de morte & eam nimis timeat.*

24. Desiderium præsentis vitæ, *quo homo cupit hic semper vivere.*

25. Infert Gabriel à S. Vinc. Luxuriam maximè cavendam à viris contemplativis, literatis, studiosis, Rectoribus, Gubernatoribus, Principibus, Judicibus, &c.



DISTINCTIO V.

De Invidia.

1. INvidiam definit N. Mosc: l. c § de invidia. *Est tristitia de alieno bono, eò quòd impedit aut diminuit seu obscurat invidentis excellentiam.* Bona autem hominis sunt scientia, honor, fama, reputatio, divitiæ, favor, veneratio, dignitates, &c.

2. Secundùm citatum Doctorem tristitia de bono alterius habet septem respectus.

3. Primò, quia est bonum illius, cui malum optamus, & hoc pertinet ad odium.

4. 2. Quàmvis in se bonum sit, præbet tamen occasionem mali, v. g. insolentiæ. Et sic tristari de bono alterius pertinet ad charitatem.

5. 3. Quia bonum unius est nocivum alijs. Et sic tristari de dominatu oppressoris pertinet ad compassionem respiciendo præcisè oppressos.

6.

6. 4. Quia bonum unius est formidolosum alteri. v. g. Sperat Petrus ex officio, dignitate Joannis aliquid injustè proventurum & de præfatis excellentijs tristatur, quod pertinet ad timorem.

7. 5. Quia tali bono v. g. prosperitate indignus. Et sic tristari pertinet ad indignationem. Quòd si tristitia sit de injustitia in distributione bonorum, sic tristari pertinet ad justitiam.

8. 6. Tristatur quis de bono alterius, non quia est in altero, sed quia ipse caret eo. Qualiter tristari pertinet ad æmulationem.

9. 7. Tristatur quis de bono alterius quia est malum dolentis: hoc est, quia redundat in aliquod ejus gloriæ incommodum. Et sic tristari propriè pertinet ad invidiam.

10. Hi modi tristandi de bono proximi ideò assignati ut intelligatur natura invidiæ propriè acceptæ.

11. Quomodo doctrina Mosc: & Samuelis de Lublino assignantium septem modos tristitiæ circa bonum proximi sit

ſit conciliaoda cum doctrina S. Thomæ aſſignantis, quatuor modos, altioris eſt fori.

12. S. P. Gregorius relatus à S. Th: 2. 2. q. 36. art: 4. has refert filias invidiæ. Et ſunt odium, ſuſurratio, detractio, lætitia in adverſis proximi, afflictio in proſperis ejus. Quid ſit odium patet ex dictis & patebit ex dicendis Quid ſuſurratio, & detractio patebit ex dicendis circa octavum præceptum.

DISTINCTIO VI.

De Ira.

1. IRa dupliciter ſumitur. Communiter ſeu vulgariter & propriè. Communiter ſumitur *pro quadam perturbatione animi cum actuali impatientia.* Propriè & ſpecialiter *pro appetitu vindictæ.*

2. Ira ad vindictam pertinens duplex eſt, Licita & illicita. Licita vocatur ira per zelum, illicita vocatur ira per vitium.

3. Zelus eſt *appetitus vehemens puniendi malum*

malum, servando tamen rationis ordinem & legis dispositionem. v. g. ut justitia servetur, &c.

4. Ira vitiosa est *inordinatus appetitus vindictæ.* v. g. eo solo quòd injuria simus affecti, & sic ut animus irati satietur alienâ miseriâ.

5. Ira differt ab iracundia, illa enim dicit actum, hæc potentiam. Ait Gab: à S. Vinc: v. ira. Addit, iratus vehementer comparatur arrepto à Dæmone.

6. Germina, seu filias iræ in tres classes distinguit Mosc: l. c. § de ira ex S. Th. Nam in corde nascitur indignatio, rumor mentis & odium, in ore clamor, maledictio, contumelia, blasphemia, rixæ verbales, in facto, pugnæ seu rixæ reales, seditiones, factiones.

7. Indignatio est, *quâ homo indignum reputat (illum à quo malum accepit) suâ affabilitate,* familiaritate & colloquio, avertens ab eo faciem aut oculos, nolens de eo audire ullum verbum bonum, ac detestans, quòd ei aliquando amicus fuerit, benefecerit, &c.

8. Tumor mentis, *quo in corde iniuria versatur, ruminatur atq; exageratur*, cùm repetitione causæ, & interiori aspera responsione, excogitatione mediorum ad exercendam vindictam: ac proinde quasi tumescit mens tali amaritudine repleta.

9. Odium est *quo displicet proximi bonum, vel optat malum.* Differt ab ira. Nam iratus non intendit nocere, nisi ei qui sibi vel suis nocuit, ut vindicta sit quasi quædam recompensatio. Per odium autem intenditur malum absq; tali respectu, sed absolutè eo tantùm fine, ut alicui malè sit, propterea, quòd vel nequam sit, vel nobis contrarius, vel quia ejus persona est odiosa, nobisq; displicet.

10. Clamor est, *confusa, tumultuosa, sub elata voce, locutio.*

11. Quid maledictio contumelia & similia, patebit ex dicendis circa octavum præceptum. Quid blasphemia ex dicendis circa primum præceptum.

Hæ descriptiones filiarum iræ desum-

sumptæ sunt ex P. M. Nicolao Mosc: l. 6. §. de ira.

12. Seditio est *rebellis nonnullorum contra superiorem commotio.*

13. Factio est *modorum de inferendo damno sive temporali sive spirituali adinventio.* Hæ undecim filiæ iræ possunt reduci ad sex à S Th: 22. q. 158. a. 7. assignatas. Et sic non contradicitur S. Thomæ.

DISTINCTIO VII.

De Gula.

1. Gula est *inordinatus cibi potûsq; appetitus.* Appetitus inordinatus solius cibi, vocatur comessatio. Solius potûs, ebrietas.

2. Quinq; sunt gulæ species. *Præproperè. Lautè. Nimis. Ardenter. Studiosè.* S. Th: 2. 2. q. 148. a. 4. ex S. Greg.

3. Prima species gulæ est *Præproperè,* quando quis ex impatientia prævenit tempus comedendi. 2. Quando quærit cibos lautos & pretiosos. 3. Quando multùm comedit vel bibit. 4. Quando avi-

avidè cibum sumit 5. Quando nimis accuratè cibos præparat, vel sic paratos desiderat Ita in terminis Gab: à S.Vinc: v. Gula.

4. Filiæ gulæ sunt quinque 1. Inepta lætitia. 2. Scurrilitas. 3. Immunditia. 4. Multiloquium. 5. Hebetudo mentis. S.Th: l. c. a. 6. ex S. Greg.

5. Inepta lætitia dicitur *quâ homo gaudet in his, quæ ex se nullam, vel saltem non tantam faciunt delectationem.* Hæc turpitudo apparet in ludo, joco & similibus.

6. Scurrilitas *consistit in verbis ac gestibus inverecundis.* Vt sunt impuræ cantilenæ. versus. cavilli. gestus. tactus petulantes, turpes &c.

7. Immunditia *sumitur pro superflua & turpi humorum è corpore emißione.* ut sunt vomitus. Pollutiones in somnis turpibus causatæ ex nimio cibo vel potu &c.

8. Multiloquium est *multitudo locutionis cum superfluitate præter utilitatem vel necessitatem.*

9. Hebetudo mentis est *grossities intellectus quâ homo non potest pertingere ad cogni-*

tionem rei, nisi per multa ei sit exposita. Hoc evenit tum ratione vaporum quibus opletur cerebrum. Tum ratione delectationis superfluæ, ex qua fit, ut mens quasi inhæreat patinis & vitris.

DISTINCTIO VIII.

De Acedia.

1. ACedia est *tristitia de bono divino*, non quatenus est arduum & difficile, sed *quatenus ad nos pertinet*, nobis est utile & nostrum beneficium, ducēs ad finem, vel consistens in fine excellentissimo.

2. Hinc collige vulgum non propriè intelligere hoc peccatum pro segnitie aut pigritia ad Dei obsequium, aut pro tristitia. v. g. de jejunio incidente tali tempore vel alio bono opere, inquātùm est laboriosum, animo & corpori molestum, vel impeditivum delectationum mundanarum; talis enim tristitia ex repugnantia sensualitatis oritur, & ordinariè etiam consensu rationis accedente, veniale peccatum est, ait P. M. Nicol: Mosc.

3. Septem filiæ acediæ assignantur: Pigritia seu torpor. Tædium seu fastidium. Evagatio mentis. Pusillanimitas. Aversio à bono divino, aliàs malitia à D. Greg: dicta. Exasperatio contra benè monentes, alias rancor. Desperatio.

4 Pigritia seu torpor est *quando homo negligit & omittit facere, quæ ex præcepto vel quasi ex præcepto tenetur facere.* v.g. non communicando in Paschate, &c.

5. Tædium est, *propter quod aliquis inchoans bonum opus nauseat super illo, tanquam insuavi, & deserere proponit.*

6. Adverte. Prima pars hujus descriptionis non innuit filiam invidiæ, sed secunda pars: nam nausea super bono opere est ipsamet acedia, cùm sit tristitia de bono divino. Hinc Bonac: & Fernandez acediam definiunt per tædium & nauseam.

7. Evagatio mentis est, *quando quis refugiens sancta, divertit ad impertinentia,* quæ in cogitationibus versat, & deserens attentionem debitam distractionem volũtariè admittit.

8.

8. Pusillanimitas est *quâ homo non audet divina consilia, quæ perfectionis sunt aggredi.*

9. Aversio à bono divino, aliàs ex D Gregorio dicta malitia, est *tristitia aggravans hominem propter bonum seu beneficium à Deo nobis exhibitum*, v.g si quis in tantùm esset aversus à DEO, quod audiens vel cogitans statutum sibi à DEO, quòd sit futurus civis Sanctorum, tristaretur & fastidiret quasi nolens hoc esse. Vel si displicerent ei bona spiritualia, velletq; ea non fecisse. Vel si contemneret DEI beneficia, desiderando se non fuisse natum, non esse ad beatitudinem ordinatum. Detestaretur, quòd sint ei provisa ad beatitudinem media. v. g. Sacramenta, &c.

10. Huc spectant illi qui propter nimium affectum ad res temporales amisso gustu spiritualium, desiderant in mundo perpetuitatem non curantes gloriam æternam, immò interdum corde & ore beatitudini renuntiant, præponētes temporalia æternis.

11. Exasperatio contra benè momentes, aliàs Rancor, *importat quandam animi commotionem contra ad bona inducentes.* v.g. Parentes. Confessarios. Concionatores. &c.

Quid sit desperatio patebit ex dicendis de peccatis contra Spiritum S.

DISTINCTIO IX.

De Gravitate Peccatorum Capitalium.

1. SVperbia est peccatum mortale ex genere suo si sit consummata & perfecta, idest, si quis ita excellere appetat, ut Deo, superioribus, eorumque legibus subijci nolit. imperfecta, quâ quis, subijciendo quidem quibus tenetur, in suo tantùm affectu se magnificat, est p. veniale, ut refert P. Hermannus ex Cajetano v. Superb. Quia sine Dei & aliorum despectu plùs justô se efferre, non est gravis deordinatio. Esset gravis cum notabili aliorum contemptu, complacendo in aliorum notabili abjectione.

2. Ava-

2. Avaritia ut est rei alienæ immoderatus appetitus v. g. alienum retinendo; & ut opponitur justitiæ, ex genere suo est p. mortale: ut verò est immoderatus appetitus propriarum divitiarum in ijs delectando, tenaciter retinendo, & ut opponitur libertati, est solùm ex genere suo p. veniale. Qualiter avaritia communiter & ordinatè sumitur. Hanc doctrinam sumpsit Gab: à S. Vinc: ex S. Th: 2. 2. q. 118. a. 4.

3. Luxuria ut sumitur pro inordinato actu extra matrimonium est ex genere suo p. mortale. Quia prodigitur semen humanum in quo est homo in potentia: quod sine dubio est grave & notabiliter repugnans rationi. Sumitur ex S. Th: q. 15. de malo a. 2.

4. Invidia ex genere suo est p. mortale. Quia contrariatur charitati. Sicut enim charitas gaudet de bono proximi ita invidia tristatur. D. Th. 2. 2. q. 36. a. 3. & q. 10. de malo a. 2.

5. Ira sumpta pro inordinato appetititu vindictæ ex genere suo est p. mortale.

tale. (Quod intellige quando est ex plena deliberatione, & malum quod infertur est notabile) Quia contrariatur charitati & justitiæ. Sumpta pro perturbatione animi. v. g. si quis nimis ardenter commoveatur inreriùs, vel si nimis exteriùs signa interioris commotionis manifestet, non est ex suo genere mortalis. S.Th: 22. q. 158. a. 3. & q. 12: de Malo a. 3.

6. Gula ex genere suo solùm est p. veniale. Gabriel à S. Vinc: V. Gula ex S. Th: Quia ex genere suo in hoc consistit quòd quis inordinatè cibum vel potum appetat. v.g. quia plùs, citiùs, avidiùs, lautiùs sumit, quàm deceat, vel in delectatione cibi sistit non referendo, saltem implicitè ad finem honestum, quod tantùm est veniale, nec ex terminis importat notabilẽ excessum. Sumitur ex Sam: de Lub.

7. Contra gulosos per ebrietatem sic habet Apostolorum 42dus Canon: *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, aleæ atq; ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè communione privetur,* idem statuit Eutichia-

nus Papa & Concilium Moguntiacum Cant: 46. Hæc & alia refert Povodovius in instructione Confessariorum supra 3 Præceptum.

8. Acedia secundùm genus suum est p. mortale. Nam proprius effectus charitatis gaudium de Deo, acedia autem est tristitia de bono divino. Et sic contrariatur charitati. Consequenter est ex se p. mortale, nisi excuset imperfectio actûs. S. Th: 2. 2. q 35. a: 3.

9. Sive autem tristeris de re cadente sub præcepto, sive sub consilio peccas mortaliter. Et sic qui omisit Sacrum v. g. ex acedia propriè sumpta, non sufficit in confessiione fateri omissionem Sacri, sed necessarium est p. acediæ explicare, Gab: à S. Vinc: V. Acedia.

Quæsitum.

Quæ virtutes peccatis capitalibus contrariæ?

1. ℟. Hæ à referentibus doctrinam Christianam solent assignari. Humilitas Largitas, Castitas, Benignitas seu Benevolen-

volentia, Patientia, Temperantia & Devotio.

2. A quodam in tabula Christiana loco benignitatis, ponitur amor proximi. Loco temperantiæ, abstinentia. Loco devotionis, diligentia.

3. Cæterum possunt etiam sic enumerari. Humilitas. Largitas. Justitia. Castitas. Charitas, Mansuetudo. Temperantia. Humilitas contra superbiam. Largitas & justitia contra avaritiam supra explicatam. Castitas contra luxuriam. Charitas contra invidiam & acediam ut patet ex dictis. Mansuetudo & justitia, contra iram supra explicatam. Temperantia contra gulam. Descriptiones harum virtutum reperies in 3. Sent: Thomisticarum: ubi ago de virtutibus in particulari: Nec placet omnia repetere.

DISTINCTIO X.

De Peccatis contra SPIRITUM S.

1. PEccata in Spiritum Sanctum sunt

ſex. Deſperatio, Præſumptio. Impugnatio agnitæ veritatis, Invidia fraternæ gratiæ. Impœnitentia & obſtinatio.

2. Deſperatio, *quando quis abjicit ſpem de ſui emendatione. Peccatorum remiſsione, gratiæ & gloriæ conſecutione.* Poteſt autem aliquando conjungi hæreſi, aliquando abſq; hæreſi eſſe. Nam ſi quis exprimat ſaltim corde tale judicium, quòd DEUS non poſſit ſibi parcere, aut non parcet, ſi debito modo ſe diſpoſuerit, aut quod impoſſibile ſit ei in hoc ſtatu conſequi gratiam & poſtea gloriam, eſt contra fidem. Sine hæreſi verò: ſi quis ſecum ita deliberaret. Ego nunquam me diſponam, & ideo nunquam mihi DEUS parcet ac proinde damnabor.

3. Præſumptio eſt *inordinatus conatus ſpei, quâ expectat quis per virtutem & miſericordiam* DEI, *id, quod ſecundùm legem* DEI *ordinariè non eſt poſsibile*: v. g. remiſſionē peccatorum abſq; pœnitentia. Gloriam æternam ſine meritis, aut ſolis viribus naturæ abſq; DEI gratia. Et poteſt conjungi hæreſi, ſi quis ita crederet. Et

abſq;

absq; hæresi, si ita quidem non judicaret, sed ita se gereret ac tenderet in æternam beatitudinem, ac si posset suâ voluntate absq; operibus, aut illis solis sine gratia DEI obtineri.

4. Impugnatio agnitæ veritatis, tunc est, *quando quis post propositam fidei vel bonorum morum doctrinam, impugnat eam volens persuadere esse falsam.*

5. Invidentia fraternæ gratiæ est *dum quis tristatur ex hoc quòd gratia Dei crescat in mundo.* Hinc si quis videns fratrem suum in DEI servitio proficere, peccatores pœnitentiam agere, doleret super hoc, peccaret contra Spiritum S. quasi contemnens interioris gratiæ auxilium.

6. Impœnitentia hic non significat permanentiam in peccato usque ad mortem, *sed importat propositum non pœnitendi*: S. Th: in 4. d. 43. a. 1 ad 3. & in expositione literæ. Quòd si esset propositum non pœnitendi usque ad mortem, sine dubio esset impœnitentia, ut hic sumitur pro speciali peccato & in Spiritum Sanctum.

7. Obstinatio est *firmum propositum inhærendi peccato propter aliquam delectationem licèt brevem.*

8. Hæc peccata dicuntur irremissibilia. Non quòd nullatenus remitti possint, sed quia difficilè & rarò remittuntur, eò quòd habeant in se repugnantiam ad remissionem, & DEI dona, quæ contemni videntur.

Quæsitum.

Quot sunt remedia contra peccata in Spiritum Sanctum?

℞. Esse sex, secundùm Fabium incarnatum. Primò. Spes de misericordia DEI. Timor de divina justitia. Cognitio veritatis fidei & bonorum morum. Auxilium divinæ gratiæ. Dolor de peccato commisso, & propositum abstinendi à peccato.

DISTINCTIO XI.

Referuntur aliæ divisiones peccatorum.

1. INter alias divisiones etiam assignari solet peccatum contra Patrem, Filium & Spiritum S. sed de hac divisione jam egimus dist. 1. n. 10.

2. Peccata in cælum clamantia sunt quatuor. Homicidium voluntarium, hoc est directè factum. Sodomia. Oppressio pauperum, ac merces operariorum defraudata.

3. Nomine pauperis intelligitur non tantùm miserabilis persona. v. g. advena, pupillus, subditus, servus, sed etiam quicunque est inferioris conditionis respectu excellentioris.

4. Nomine oppressionis intelligitur quæcunque afflictio.

5. Dicuntur in cælum clamare: nam ob sui gravitatem velocem petunt ultionem.

6. Peccata aliena sunt novem. Seu novem sunt modi quibus aliena peccata nobis imputantur, & continentur his versibus Jussio. Consilium. Consensus. Palpo Recursus. Participans. Mutus. Non obstans. Non manifestans. Ho-

rum brevis explicatio habetur in 1. Sent: Mor: de homicidio.

7. Opera carnis hæc enumerantur à S. Paulo ad Gal: 5. *Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes & his similia quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.*

8. Q. 1. Quot modis peccatum committitur? ℞. 4. Cogitatione. Locutione; Opere, & Omissione.

9. Q. 2. Quot sunt fundamenta, origines & causæ peccatorum? ℞. 3. Ignorantia. Fragilitas quô pertinet passio; Malitia.

10. Q. 3. Quæ concurrunt ad p. mortale? R. hæc. 1. Gravitas ex parte objecti. 2. Perfecta advertentia ex parte intellectûs. 3. Plenus consensus ex parte voluntatis. Gravitas ex parte objecti colligitur ex notabili contrarietate cum charitate DEI & proximi. Alia

autem

autem est gravitas objecti peccaminosi ex se & sua natura v. g. odium Dei. Alia ex gravi prohibitione ut fuit in pomo primis parentibus prohibito. Quot modis mortale transit in veniale vel è contra. Quæ excusant à mortali vel ab omni, v. dicta in 4. Sent: Moral: d. 1. Vnde sumatur distinctio numerica peccatorum. v. in 2. Sent: Mor: d 61. circa finem. Vnde distinctio specifica peccatorum. v. in 3. Sent: Thomisticarum d 75.



OPUSCULUM QUARTUM.

De Præceptis Decalogi.

PRæcepta alia sunt legis naturæ. Alia scriptæ. Alia gratiæ. Alia legis canonicæ.

Præcepta legis naturæ duo sunt Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Quod tibi vis fieri, alteri facias. Legis scriptæ sunt decem, de quibus in hoc opusculo.

Legis gratiæ duo (intellige quoad majorem explicationem, semper enim erant) Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum sicut te ipsum. Legis canonicæ aliqui numerant quinque. Absolutè tamen loquendo, & naturæ, & scriptæ, & gratiæ, & legis canonicæ sunt plura. Sed hæc, vel communiora, vel magis principalia, vel magis scitu necessaria.

1. DEcalogus dicitur à denario numero præceptorum, & sic Decalogus idem est quod volumen sacrum continens in se decem moralia præcepta, sequentibus contenta.

Vnum crede DEUM. Nec jures vana per ipsum. Sabatha sanctifices. Habeas in honore parentes. Non sis occisor. Mœchus. Fur. Testis iniquus. Alterius sponsam. Nec rem cupias alienam.

Horum fundamentum & radix est dilectio DEI & proximi.

2. Ex præceptis Decalogi alia sunt primæ, alia secundæ tabulæ. In duobus enim tabulis lapideis scripta constat ex Deutoronomij c. 4. In prima tabula tria tantùm scripta erant prima præcepta, quæ nos ad Deum ordinant. In secunda verò scripta fuerunt reliqua septem, quæ ad justitiam erga proximum servandam diriguntur. S. Th: apud Makovium in Decalogum præludio secundo.

3. Ex his alia sunt affirmativa alia negativa. Affirmativa obligant semper sed non pro semper, sed tantùm quando accidit casus. v. g. honorare parentes obligamur semper, sed non pro semper & omni tempore quoad executionem, sed solùm data occasione. Negativa obligāt semper & pro semper, v.g. non furari.

4. Decalogum, saltem quoad substantiam scire tenemur, ut patet ex Opusc. 2. d. 2. Præ oculis etiam habendus, ut eò faciliùs ad eum observādum manuducamur. Habemus autem Decalogum præ oculis examinando conscientiam de observantia ejusdem.

5. Fructus Decalogi hi numerari possunt. 1. Coërcere homines à malo. 2. Invitare ad bonum. 3. Benedictio spiritualis & temporalis. Illa consistit in conscientiæ puritate, tranquillitate & abundantia virtutum. Hæc in bonorum temporalium copia & alijs exterioribus bonis. Si hæc desunt, DEUS in melius nostrum subtrahit. 4. Vita æterna, *si vis ad vitam ingredi serva mandata.*

DISTINCTIO I.

Circa primum præceptum.

Non habebis Deos alienos coram me.

1. HOc præcepto non solùm prohibetur cultus falsorum Deorum, sed & præcipitur tendere in DEUM, tum per actus fidei, spei & charitatis, tum per actus religionis.

2. Ad præfatos actus inducimur quinque rationibus 1. Sumitur ex DEI dignitate. 2. Ex DEI largitate: omne enim bonum à DEO. 3. Sumitur ex promissi firmitate: abrenuntiavimus enim diabolo,

lo, & fidem promisimus soli Deo. 4. sumitur ex dominij diabolici gravitate. 5. Ex præmij sive muneris largitate. D. Th: Opusc: 4. in præsenti.

3. Quid fides, spes, charitas, patet ex dictis de virtutibus. Religio est *virtus, quâ Deo debitum cultum tribuimus tanquam primo omnium principio.* Quæ circa dictas virtutes scienda occurrunt, dixi tum in 1. Sent: Mor: d. 2. & seq. tum in 3. Sēt: Thomisticarum d. 53. & seq.

4. Dum dicitur *non facies tibi sculptile,* idolorum cultus & non imaginum Dei & SS prohibetur. ut sc: imagines formaliter sumuntur, hoc est, ut dicunt respectum ad rem repræsentatam, materialiter enim sumptæ & ut res quædam non possunt coli.

5. Serviunt autem imagines. 1. ad instructionem rudium. *Quod legentibus scripturæ, hoc idiotis præstat pictura.* S Greg: l. 9. Epist: 9. 2. ad excitationem piorum: excitamur autem ut imitemur & honoremus Sanctos. Imagines ipsemet Christus D. approbat: Regi enim Abagaro suam

ſuam imaginem miſit (Epiſtola Abagari ad Chriſtum D. & Chriſti D. ad Abagarum, habentur apud P. M. Ruſzel de S. Cruce diſt. 37. ubi etiam reperies Epiſtolam Lentuli Romani Proconſulis, quâ diſpoſitionē Corporis Chriſti D. deſcribit) Item linteo S. Veronicæ, & ſindoni ſepulchri ſuam imaginem impreſſit, non in ſolam memoriam ſed ut per has colatur.

6. Non prohibetur etiam hoc præcepto cultus reliquiarum ſeu corporum SS. reliquiæ enim ſunt pignora ſacra SS. quos colere tenemur. Angeli honorant corpora SS. Hi enim S. Catharinæ corpus in monte Synai cum honore ſepelierunt. Hi corpori S. Clementis ſacellum ædificârunt in mari. DEus ipſe, ut patet ex tot miraculîs, vult corpora SS. à nobis honorari. Membra S. Staniſlai Martyris, & Epiſcopi Cracovienſis nocturni de cœlo ſplendoris indicio collecta, & ſuis lucis diſpoſita, ita inter ſe copulata, ut nulla vulnerum veſtigia extarēt. Corpus S. Floriani M. Patroni Regni Poloniæ,

loniæ inusitatæ magnitudinis aquila custodivit &c.

7. Est autem cultus seu adoratio in communi, *actus quo unus alteri se submittit, seu honorat in recognitionem excellentiæ.*

8. Cultus seu adoratio est triplex. Latriæ, duliæ, hyperduliæ. Latriæ est *supremus cultus qui soli Deo propter summum imperium, quo universa creavit, gubernat & regit, debetur.* Dulia est *cultus debitus Sanctis,* alijsque interdum adhiberi solet, ut docet S. Th: 2. 2. q. 103. a. 2. Hyperdulia est *cultus debitus Sanctis habentibus specialem coniunctionem ad Deum.* Sic colitur humanitas Christi D. præcisè considerata, ut sancta per sanctitatem creatam, cui tamen ut sanctificatæ sanctitate increatâ debetur cultus latriæ. Cultu hyperduliæ etiam colitur B. V. MARIA.

9. Adoratio quæcunque illa, alia est absoluta alia respectiva. Absoluta est, *quando aliquis honoratur propter se & ratione suæ perfectionis.* Respectiva, *quando propter aliud.* Patet hoc in cultu & adoratione imaginum, quæ non sistit in imaginibus,

sed

ſed refunditur in prototypon ſeu exemplar, puta in eum cujus eſt imago. Adoratione ſacrà veneramur etiam nomina ſacra, ut nomen: JESUS MARIA. Scilicet propter id quod repræſentant. Patet hoc ex D. Paulo ad Philipp: 2. In Nomine Jesu omne genu flectatur.

10. Ex ſignis externis non ſumitur differētia inter adorationes. Nam omnis ſubmiſſio externa, eſt indifferens, poteſtque tam DEO quàm creaturis exhiberi, v.g. genuflexio. Totius corporis proſtratio, etiam hominibus exhibentur. Quare à ſola intētione pendet, quòd per talia ſigna externa, hæc vel illa ſpecies honoris deferatur. Si enim externa illa ſubmiſſione intendas te ſubmittere tanquam DEO, & teſtari divinitatem, erit cultus latriæ. Si ut Sancto, duliæ. Si ut viro potenti, erit obſervantia politica. Makowski ſuper Decal: tract: 1. diſp: 1. q. 2.

11. Qui nec canonizati, nec beatificati, cum ſignis tamen ſanctitatis deceſſerunt, poſſunt coli cultu privato, ſeclu-

cluſo populi ſcandalo. Poſſunt in privatis colloquijs vocari ſancti, & in noſtrum auxilium, ut pro nobis intercedant, invocari. Hæc probantur à Makovio l. c. q. 5. a. 1.

12. Occaſione hujus ſcias. 1. Inter canonizatos & beatificatos hæc differentia, quòd circa canonizatum ſit ultimum judicium & ſententia de ſanctitate & gloria. Circa beatificatos non. Poſt beatificationem enim ante canonizationem majus examen fieri ſolet circa vitã & ſanctitatem. Et ſic quòd beatificatus ſit in gloria, non tam habetur per formam declarativam, quàm conceſſivam, quâ conceditur ut invocetur.

13. Scias 2. ex Mak: l. c. q. 6. hanc inter cultum publicum & privatum eſſe differentiam. Cultus publicus fit nomine Eccleſiæ, & ab ea determinatus, ut officium divinum, Miſſa & alia, quæ pro Sanctis canonizatis ac beatificatis ſunt determinata. Privatus exhibetur, nontãquam inſtitutus ab Eccleſia, nec fit nomine Eccleſiæ, ſed ex devotione colẽtis,

licèt

licèt simul fiat, & publicè. Imò etsi Sacerdotes superpelliceo induti recipiant dona voti gratiâ oblata: hoc enim non tam ad cultum publicum pertinet, quàm ad decentiam. Aliæ difficultates circa cultum privatum videantur in 1. Sent: Mor: dist: 6.

De Peccatis primo Præcepto oppositis.

14. Peccata opposita virtutibus Theologicis, sc. hæresis desperatio & odium Dei, opponuntur primo præcepto Decalogi.

15. Item peccata opposita virtuti Religionis. Sunt autem superstitio, tentatio Dei, sacrilegium, perjurium, simonia & blasphemia. Si hæc præter convitium addit errorem contra fidem, etiam opponitur fidei, & dicitur blasphemia hæreticalis, aliàs tãtùm dicitur blasphemia simplex.

16. Superstitio est *cultus vitiosus quo aut colitur creatura cultu divino aut Deus modo indebito.* Makov: l c. q 1. a. 1.

17. Tentatio Dei est *dictum vel factum*

ad

ad capiendum de Deo experimentum, ut sciatur qualis sit, potentiâ, bonitate, scientiâ, voluntate & similibus. Samuel de Lublino v. Tentatio.

18. Sacrilegium est *rei sacræ violatio.* Explicatur hæc definitio in 1. Sent: Mor: d. 10. De perjurio & simonia in sequentibus.

19. Blasphemia ex S. Th: 22. q. 13. a. 1. est *derogatio excellentis bonitatis, & præcipuè divinæ.*

20. Fit autem quatuor modis. 1. Quando aliquid Deo attribuitur quod ei non convenit. 2. Quando removetur quod covenit. 3. Quando proprium Deo creaturæ tribuitur. 4. Quando removetur à Sanctis id quod convenit, vel attribuitur convitiando, quod non convenit. Sam: de Lub: v. Blasphemia. Ex quo patet blasphemiam etiam sic posse definiri. *Est maledicentia contra Deum & Sanctos.*

21. Species superstitionis hæ à S.Th: 2. 2. q. 2. a. 2. numerantur. Indebitus veri Dei cultus. Idololatria. Divinatio vana observantia.

22.

22. Quid ſit indebitus veri DEI cultus, patet. Hoc addo: ſuperſtitiosè venialiter agit, qui contra rubricas agit. Armilla v. Superſt.

23. Idololatria eſt *cultus quo divinus honor creaturæ tribuitur, tanquam* Deo.

24. Divinatio eſt *prædictio inordinata futurorum.*

25. Vana obſervantia eſt *dum media inutilia adhibentur ad præſtandum vel omittendum aliquid.* v.g. dum luſores mutant locum, ut malam fortunam evitent.

26. Magia eſt quinta ſpecies ſuperſtitionis, ſed revocatur, partim ad divinationem, ſi futura ope dæmonis prædicũtur. Partim ad vanam obſervationem ſi mira & inſolitã ope dæmonis fiunt. Et ſic magia ſuperſtitioſa definiri poteſt. Eſt *ratio quædam ope dæmonis aut futura prædicendi aut inſolita operandi.*

Species divinationis cum expreſſa dæmonis invocatione.

27. 1. Præſtigium *quando dæmon apparet ad prænuntiandum futura & hominis oculos præſtringit ne videat deceptionem.*

28.

28. 2. Divinatio per ſomnia, *dum magi ex ſomnijs iudicant de occultis & futuris.* Si deeſt pactum, nec eis utimur tanquam regulâ actionum noſtrarum, eſt tantùm veniale credere ſomnijs.

29. 3. Necromantia eſt *divinatio per apparitionem & locutionem mortuorum.*

30. 4. Divinatio per Pytones dicitur *dum dæmon per homines vivos, ut arreptitios loquitur de occultis & futuris.*

31. 5. Geomantia eſt *divinatio per aliquas notas aut ſigna in corpore terreſtri.* v.g. ligno, ferro, &c.

32. 6. Hydromantia eſt *divinatio per notas in aquis.*

33. 7. Aeromantia eſt *divinatio per notas in àére.*

34. 8. Pyromantia eſt *divinatio per notas in igne.*

35. 9. Haruſpicium eſt *divinatio per notas in teſtinis animalium immolatorum.*

Species divinationis ſine expreſſa dæmonis invocatione.

36. 1. Aſtrologia judicaria, *quâ ex ſitu motuq; aſtrorum futura prædicuntur de hominum vita & actionibus.*

37. 2. Augurium, *cùm ex motu vel sonitu avium, aliorumq; animalium, vel etiam ex sternutatione hominum, membrorum saltu, futurum prædicitur.*

38. 3. Omen, *cùm ex verbis alicuius absq; eo proposito dictis, futurum prædicitur:*

39. 4. Chiromantia, *quá ex lineamẽtis manuum aliquid prædicitur.* Ad hanc revocatur Spatulomantia, *quâ aliquid prædicitur ex signis apparentibus in spatula alicuius animalis.*

40. 5. Sortilegium est *cùm aliquid fit ab homine, ut considerato eius eventu occultum innotescat.* Fit vel per schedulas extractas vel jactum taxillorum. &c. De his S. Th: 22. q. 95. a. 3.

41. Sors alia est divisoria, alia consultoria, alia divinatoria.

42. Divisoria est *si quæratur iudicio sortium, quid alicui sit exhibendum.*

43. Consultoria, *si quæratur per sortes quid agere oporteat.*

44. Divinatoria, *si quæratur per sortes quid sit futurum.* S. Th: l. c. a. 8.

45. Hæ omnes species divinationis, licet

licet sine expressa dæmonis invocatione, sunt prohibitæ, exceptâ forte divisoriâ & consultoriâ, servatis tamen nonnullis conditionibus, de quibus in 1. Sent: Mor: d. 8. conc: 3

Species vanæ observationis quatuor numerantur in Armilla Bartholomæi Fumi V. Superstitio.

46. 1. Ars notoria *quâ aliquis procurat, & credit se posse consequi v g. scientiam absq; labore, mediantibus aliquibus actibus ad hoc non ordinatis.* v. g. faciendo tot jejunia &c.

47. 2. Vana observatio futurorum eventuum, *quâ ex consideratione alicuius eventûs fortuitò occurrentis conijcimus quid futurum sit prosperum vel adversum.* v. g. si quis domo egrediens pedem offendat & ideo domum revertatur timendo iter infaustum.

48. 3. Vana observatio ad immutationem corporum *per res naturales non tamen à natura ordinatas ad effectum intentum,* v.g. si quis sub signo leonis sculpat in auro figuram leonis, quam superstitiosii dicunt

cunt valere contra hydropem, pestem & febres. Item si quis vanis remedijs tollit fascinationem. v. g. immissione carbonum in aquas.

49. 4. Vana observatio ad immutationem corporum *per res supernaturales non tamen à Deo ordinatas ad effectum intentum*. v.g. Si verba sacra collo appendas, credens te sic certò consecuturum sanitatem. Secus si solùm habeatur respectus ad Deum, à quo humiliter expectatur effectus. Quali modo etiam licet incantare serpentes. Sed ut advertit S. Th: 22. q. 96. a. 4. plerumque tales incantationes habent vanas observantias, & per dæmones sortiuntur effectus. Dixi, *à Deo non ordinatas*. Nam gestare Agnum Dei benedictum, licet. Cùm id à Deo per Ecclesiam institutum contra maleficia.

Divisiones sacrilegij videantur in 1. Sent: Mor: d. 10.

DISTINCTIO II.

Circa 2. Præceptum.

Non assumes Nomen DEI tui in vanum.

1. HOc præcepto prohibetur omnis inordinata usurpatio Nominis DEI, Temerè jurando. Adjurando. Vovẽdo & non reddendo. Blasphemando.

2. Juramentum est *Veritas Divino testimonio confirmata.* Hinc jurare est DEUM in testimonium alicujus veritatis adducere.

3. Tres sunt conditiones necessariæ ut juramentum debito modo fiat. Veritas. Justitia. Necessitas. S. Th: Opusc: 4. in præsenti. Veritas consistit in hoc quòd res ita se habeat, vel saltem putatur ita se habere ut juratur. Necessitas quando agitur de propria aut proximi fama &c. Justiti: quòd res jurata non sit contra legem DEI.

4. Juramentum est quadruplex. Assertorium, Promissorium, Comminatorium

rium Execratorium. Asserrorium est *assertio Divino testimonio confirmata.* Promissorium est *promissio Divino testimonio confirmata.* Comminatorium est *cōminatio divino testimonio confirmata.* v. g. Juro DEUM, percutiam Petrum. Execratorium, est *execratio divino testimonio confirmata.* v. g. DEUS me damnet, si mentior.

5. Adjuratio est *inductio alicuius personæ vel creaturæ ad aliquid faciendum vel non faciendum ex invocatione rei sacræ.* S. Antoninus apud Armillam v. Adjuratio.

6. Duplex est adjuratio. Imperativa & deprecativa. Imperativa, *quá utimur ad subditos, præcipiendo & timorem incutiendo.* v. g. adjuro te per DEUM vivum. Deprecativâ quâ utimur ad DEUM, Sanctos vel homines superiores, ut patet ex usu Ecclesiæ orationes sic finiendo. Per Dominum N. &c. Similiter in Litanijs. Per mysterium Sanctæ Incarnationis. Sam: de Lub: v. Adjuratio.

7. Vt adjuratio sine peccato fiat has præcipuè conditiones exposcit. 1. Vt de re bona fiat. 2. Vt intentione bonâ.

3. Vt

3. Vt urgente rationabili necessitate.

8. Votum est *promissio facta Deo de his, quæ ei magis placent.* Licèt vota fiant Sanctis, hoc tamen fit propter DEUM, qui in Sanctis colitur.

9. Votum has petit conditiones. 1. Vt sit circa materiam bonam. 2. Possibilem. 3. Liberam votum emittenti. 4. Meliorem suo contrario. Hinc votum contrahendi Matrimonium non valet: quia materia voti non est melior suo contrario quod est cælibatus.

10. Votum aliud est simplex aliud solemne. Simplex est *nuda promissio facta Deo de meliori bono.* Solemne est *quod præter promissionem Deo factam de meliori bono tradit hominem Deo irrevocabiliter.* De differentia horum dixi in 1. Sent: Mor: d. 14.

11. Hi contra hoc præceptum peccāt qui pejerant. Pejerare est DEUM in testem adducere, vel sine veritate, vel sine necessitate, vel sine justitia. Irreverentia est conditio generalis in omni perjurio imbibita, Adducere DEUM in testem

sine veritate, licèt in re levi, semper est p. mortale. Tantùm sine necessitate, est p. veniale. Sine justitia in re levi, servatâ veritate p. veniale. v. g. juro, percutiam leviter Petrum.

12. Secundùm Marchantium peccat etiam contra hoc præceptum, qui frequenter (ut sic loquar) dæmonem in ore habent. Eo fortè modo, quo negatio reducitur ad affirmationem. Quamvis enim in ira nominare dæmonem sine imprecatione, non sit peccatum, assidua tamen ejus nominatio dedecet Christianum, & sic à veniali non excusatur.

13. Qui adjurant superiorem imperativè, dæmonem deprecativè, v. dicta in 1. Sent: Mor: d. 13. Conc: 2. & 3. Qui vota non implent, v. dicta l. c. d. 14. Conc: 11. Qui blasphemant v. l. c. d. 7. Qui per creaturas tanquam testes ex se infallibiles jurant, v. l. c. d. 11.

DISTIN-

DISTINCTIO III.

Circa 3. præceptum,

Memento ut diem Sabathi sanctifices.

1. HOc præcepto in nova lege in aliquibus immutato: Sanctificatio Festi, Missam audiendo, non laborando, orando, se ad diem festum per jejunium præparando, semel in anno confitendo & communicando, Ministris Ecclesiæ necessaria præbendo, præcipitur.

De Die Festo.

2. Sabathi nomine intelligitur dies quo homo vacare tenetur ab operibus servilibus ad vacandum rebus divinis. Quia tamen (ut docent Theologi) finis præcepti non cadit sub præcepto, non peccat homo contra hoc præceptum, si, supposita à Missæ auditione, rebus divinis non intendat.

3. Nullum festum in Ecclesia ex jure divino est introductum ut docet Fernandez in præsenti & alij, cujus oppositum habet Povodovius secutus Angelum &

Sil-

Silvestrum. Colligit id Fernandez ex c. licet, de ferijs, & c. 1. de consecratione d. 3. Licèt enim jus naturale divinum præcipiat hominibus DEUM honorare & revereri, non tamen tempus definit, quo in novo testamento id facere teneamur, sed omnia festa novæ legis introducta sunt ab Ecclesia.

4. Festum ergo Dominicæ ab Apostolis institutum esse colligitur ex Apoc: 1. in hac die Christus resurrexit. Spiritum S. Apostolis misit. Cælum & terram creavit. Aquam in Vinum convertit. Natus & baptizatus fuit. Quinq; panes benedixit, & multiplicavit. Januis clausis ad Apostolos intravit &c. Gabriel à S. Vinc: in Summa Mor: v. Festi dies. Adde ex eodem in N. Sũma Philosophica relato: hâc die Annunciatio & Conceptio Filij DEI in purissimo B. M. V. utero fuit.

5. Dies festus non eodem modo incipit & terminatur. Nam quoad jejunium incipit à media nocte præcedente vigiliam. Quoad judicia incipit ab ortu Solis

& fi-

& finitur in occasu. Quoad officium Ecclesiæ incipit à Vesperis.

Circa Missam.

6. Scias ex Moscicensi quem retuli in 1. Sent: Mor: d. 16. audire non ita in præsenti sumitur, ut idem significet quod aure corporis percipere aliàs surdus non diceretur Missam audire, neq; sanus si Sacerdos submissè diceret, imò etiamsi clarâ voce in magna populi frequentia: nam tunc valde distantes non audiunt. Vnde omnes DD. passim docent nemi- nē ex præcepto teneri, sic audire & mi- nùs intelligere verba Sacerdotis. Sumi- tur itaque hic auditio moraliter, quòd se gerat adinstar audiētis, decenter, piè, religiosè Missæ assistendo, crucē se signā- do genua flectendo &c. Exoptando, ut Sacerdos pro omnibus orans exaudiatur. Cogitando de DEO cui Sacrificium offer- tur. Vel de DEI beneficijs quæ per Sa- crificium offeruntur. Nullum impedi- mentum devotioni repugnans præstādo v. g. colloquendo, distractè orando &c.

Circa Orationem.

7. Quid ſit Oratio dixi ſupra Opuſc: 2. d. 8. ubi & orationem Dominicam explicui. Attentio in Oratione poteſt conſiderari triplex. Actualis, Virtualis, Habitualis. Attentio actualis eſt quādo quis voluntariè actu attendit ad id quod operatur. Virtualis eſt quando quis à principio inſtituit attendere & caſu contra ſuam voluntatem cogitat de alijs. Habitualis eſt quando quis operatur ex habitu & conſuetudine mente non intendens ad illud quod operatur. v. g. qui inſtrumentum pulſans ex conſuetudine, mente ad alia negotia totus intendit, neque à principio animum applicat ad pulſandum. Habitualis non ſufficit ad orationem ut habetur in gloſſa N. N. Conſtitutionum c. 1. de Officio Eccleſiæ Literâ D.

8. Loquendo ergo de attentione actuali & virtuali (quam S. Th: vocat habitualem) ſcias ex Cardinali Cajetano quatuor modis poteſt quis orando attendere

dere. 1. quantum ad verba. Per quod significatur, quòd verba non debeant dimidiari, & quasi devorari, sicut aliqui incipiunt versum & reliquum ita deglutiunt, ut vix se ipsos intelligant. Item quòd versus non debeat inchoari, nisi priùs socius suum versum finiat. In quibus modò dictis si multoties intra idem officium divinum exceditur peccatur mortaliter, ut cum Navarro docet Fernandez Quia notabiliter minuitur officium divinum, & notabiliter turbatur devotio.

Secundò potest quis attendere ad sensum verborum, ut mente percipiat & applicet affectum ad id quod verba significant. Hæc non exigitur, licèt in hominibus doctis Moscicensis tractando contra scrupulos.

Tertiò, quantùm ad gratiam petitam, v.g. castitatem humilitatem, fidem, &c.

Quartò ad ipsum DEUM &c. Hæ omnes, excepta 2dâ communes sunt doctis & indoctis. S.Th: 2. 2. q. 83. a. 13, has ad tres reducit.

9. Qui non ex præcepto orat & distrahitur voluntariè, ordinariè nonnisi venialiter peccat. Qui ex præcepto orat & voluntariè distrahitur. v.g. dicendo horasCanonicas, mortaliter peccat. Maledictionem ps. 108. fulminatam portat. sc. *Oratio eius fiat in peccatum:* Et ideò quibusdam irreverenter divinum officium recitantibus dæmon apparuit, eosq; fœtidissimâ (ut refert S. Greg: M.) urinâ totos aspersit, dicens. *Ad talem orationem hanc meritò infundo aspersionem.*

10. Inter præcipuas orationes numerantur horæ canonicæ, sic dictæ, quòd ex præscripto Canonum certis horis diu noctuq; à Clericis dicantur. Septennario complentur numero. Matutinum. Prima. Tertia. Sexta. Nona. Vesperæ. Completorium. Significant varia passionis Christi D. tempora, his expressa.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat. Prima replet sputis. Dat causam tertia mortis. Sexta Cruci nectit, Latus ejus Nona bipartit. Vespera deponit, Tumulo Completa reponit.

Circa

Circa labores.

11. Opera quæ prohibentur die festo sunt opera servilia, hoc est, quæ servis tantùm conveniunt, nec illis sunt communia cum hominibus ingenuis. Servorum nomine non solùm mancipia intelligas, sed plebejos homines, & operibus Reipublicæ inservientes. Fernandez p. 1. c. 7. § 1.

12. Præter hæc prohibentur nonnulla opera non servilia. 1. Nundinæ, nisi consuetudo aliud suadeat. Locationes. 2. Judicium civile, & criminale. Non tamen vetatur appellare. 3. Juramentum in judicio, nisi aliud suadeat gravis necessitas. 4. Strepitus judicialis. Et annullatur processus & sententia lata in festo, etiam de consensu partium. Nisi gravis urgeat necessitas. Nam aliquando immanitas delicti notorij petit malefactorem subitò etiam sine processu suspendi. Hæc referunt Fernandez & de la Cruz in præsenti. Alia in fine hujus tractatûs examinabuntur.

DISTINCTIO IV.

Circa 4. Præceptum.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam.

1. HOc præcepto præcipitur, honorare, amare, obedire parentibus. Nomine parentum. 1. intelliguntur parentes ſecundùm carnem. 2. Superiores in rebus ſpiritualibus. v.g. Epiſcopi, Abbates. 3. Superiores in rebus corporalibus. v.g. Reges &c. Tandem omnes, qui ſuper nos aliquam poteſtatem habent. v. g. magiſtri, tutores &c. Fern: loco cit: c. 8. §. 1.

2. Peccant contra hoc præceptum non ſolùm filij, ſed & Parentes, non inſtruendo filios & filias in doctrina Fidei & bonorum morum. Domini non præbendo ſervis neceſſaria. Non curando ut dies feſtos & ſimilia obſervent. Maritus uxorem contumelijs afficiendo & è contra.

DISTIN-

DISTINCTIO V.

Circa 5. Præceptum.

Non Occides.

1. HOc præcepto prohibetur non solùm homicidium corporale sed & spirituale, quod fit scandalizando, non corrigendo.

De Homicidio.

2. Homicidium est *iniusta hominis occisio.* Sub hac comprehenditur vulneratio, percussio, mutilatio, incarceratio, & cætera contra salutem corporalem proximi. v.g. non pascendo vel eleëmosynam denegando. Ad homicidium etiam reducuntur Ira, Invidia, Maledictio, Odium & similia.

3. Homicidium est duplex: voluntarium, quod animo & intentione occidendi hominem, perpetratur cum effectu. Casuale, quod fit præter intentionem occidentis, aut facientis id, unde mors secuta. Est duplex. Aliud purè casuale, quod nec implicitè est volitum.

Et

Et hoc non causat irregularitatem. Quia nullo modo est voluntarium. Aliud est quod saltem indirectè & in sua causa est volitum, ut si sit in ea prævisum, aut expressè aut implicitè, inquantum poterat prævideri & non est adhibita diligentia: Et sic peccata in ebrietate commissa solent esse voluntaria.

4. Ad justam occisionem hæc necessaria. 1. ut fiat authoritate publicâ. 2. ut fiat ex causa gravi. 3. ut servetur juris ordo. 4. ut sit recta judicis, vel ministri exequentis intentio.

5. Non solùm is peccat qui physicè occidit aut vulnerat, sed etiam qui sequentibus versibus continentur.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Id est. Qui præcipit. Qui consilium dat. Qui consentit, & ratum habet, sive ante, sive post occisionem. Qui laudat factum, vel ut fiat. Qui defendit homicidam & præbet ad se recursum. Qui par-

partem aliquam habet in homicidio, seu socius criminis aliquomodo, & auxilium præbuit. Qui non præmonet occidendum. Qui non defendit. Qui non manifestat veritatem ad defendendam vitam innocentis.

6. Ad bellum justū tria requiruntur, 1. authoritas superiorem non recognoscentis. Nam recognoscens superiorem nequit movere bellum, cùm possit jus suum prosequi judicio superioris. 2. causa justa v.g. damna valde gravia illat: tentandum tamen medium suavius. 3. recta intentio sc: ut bonum promoveatur & malum amoveatur. S. Th. 2. 2. q. 40. a. 1.

De homicidio facto per denegationem eleemosynæ: si enim non pavisti, occidisti: ait S. Ambrosius.

7. Scias. Pauperum indigentia est triplex. Extrema, gravis & communis. Prima est, quando desunt necessaria vitæ, & sine quibus vita aut deficiet aut ab-

bre-

breviabitur, aut gravi & diuturno morbo corripietur. Gravis necessitas est, dum desunt necessaria ad conservãdam conditionem proprij statûs. Communis est mendicantium, qui licèt multo indigeant, quia tamen à multis postulant moraliter loquendo non possunt suo statui necessaria non invenire.

8 Dum ergo proximus est in extrema vel quasi extrema necessitate ad vitam conservandam, tenetur sub mortali quivis subvenire ei, si habeat superflua vitæ & naturæ, & probabiliter putat neminem subventurum: etiamsi non habeat superflua statûs. Hoc enim exigit lex charitatis.

9. Item dum proximus est in gravi necessitate, tenetur sub mortali subvenire ei qui habet superflua statûs, si non sit alius qui subveniat. Quia hoc exigit lex charitatis. Præsertim, si nemo subveniret, facilè gravis necessitas transiret in extremam. Vtramq; conclusionem docet Armilla & Mosc: & alij.

10. Sunt autem superflua vitæ, quæ dem-

demptis necessarijs ad vitam conservandam adhuc supersunt. Superflua verò statûs sunt illa, quæ demptis necessarijs ad sustentandam vitam & decedentem statum, juxta conditionem personæ, adhuc supersunt.

11. Loquendo de communibus proximorum necessitatibus, quales esse solent in ordinarijs pauperibus, divites habentes superflua statûs, tenentur sub mortali ad aliquam eleemosynam elargiendam, indeterminatè tamen, cui & quibus voluerint, & tēporibus, quibus placuerit. Nam aliquando hæc etiam necessitas facilè transiret in gravem & extremam.

De Homicidio spirituali per scandalum & omissionem correctionis fraternæ.

De Scandalo.

12. Scandalum est *dictum vel factum minùs rectum occasionem spirituali ruinæ præbens.* Et sic quando aliquis ex alterius peccato excitatur ad odium peccati non

non est scandalum. Vnde error nonnullorum sic scandalum accipientium est corrigendus.

13. Scandalum aliud est activum, aliud passivum. Activum est, *quando dicto vel facto tuo directè intendis ut alter ruat, inducendo eum ad peccatum*. Vel si non intendis ut ruat, ipsum dictum vel factum est inductivum ad peccandum, v.g. si publicè pecces; aut facias aliquid habens speciem peccati. Passivum est, *quando dictum vel factum unius, est causa alteri per accidens peccandi*. v.g. si operans non intendat aliquem inducere ad peccatum, nec opus est ex se inductivum, alter tamen sumit inde occasionem peccandi. Quod si sumat occasionem peccandi ex sua malitia est scandalum Pharisaicum. Si ex infirmitate vel ignorantia, est scandalum pusillorum vel infirmorum.

De Correctione Fraterna.

14 Quinq; conditiones ad correctionem necessariæ 1. ut certam moraliter notitiam quis habeat de peccato proximi.

mi. 2. ut proximus indigeat correctione sive propter ignorantiam, sive inadvertentiam, sive propter propositum iterãdi, & non putatur ab aliquo alio corrigendus. 3. ut ex correctione speretur probabiliter emendatio, saltem ad tempus. Nec tamen facilè nobis de emendatione proximi malè persuadeamus. Cùm sæpè emendetur de quibus minùs speratur. 4. ut fiat eo ordine quo Christus D. ordinavit. Si tamen peccatum sit cōtra fidem, aut bonum commune subitò declarandum. S. Th. 2. 2. q. 33. a. 7. in corpore articuli. Quòd si error contra fidem prolatus non esset cum pertinacia, tunc non posset subitò declarari, sed secretò corrigi. 5. ut fiat cum opportunitate, sive temporis, sive loci, sive personarum. v. g. si indigens correctione, valde irascitur, probabiliter nihil efficiet monitio. Si in aliorum præsentia, fortè magis exacerbatur. Quòd si continuat malitiam, suaviter occurrendum prout fieri potest. Quandoq; expectanda persona ad corrigendum magis idonea,

15. Ordo in fraterna correctione servandus traditur à Christo D. Matt: 18. Si peccaverit in te (id est secretè) frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te non audierit adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum, Quod si non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.

16. Attamen si judicatur secretam correctionem non profuturam potest immediatè procedi ad secundum medium, & idem de secundo medio, quod etiam omitti potest si sciatur non profuturum. Alia pertinentia ad particulares casus. vide in 1. Sent: Mor: d. 21, & sequ.

Circa Sextum Præceptum.

Quo prohibetur omne peccatum repugnans castitati, vide dicti Opusc: 3 d. 3.

DISTINCTIO VI.

Circa 7. Præceptum.

Non furtum facies.

Hoc

Hoc prohibetur iniqua acceptio, & rei alienæ detentio.

De Furto.

1. FVrtum est *ablatio rei alienæ invito domino rationabiliter.* Distinguitur specie à rapina (*quæ est ablatio rei alienæ publica*) ut docet S. Th: 2. 2 q 66. a 4. & ita sic circumstantia rapinæ est necessariò in confessione explicanda.

De Simonia.

2. Simonia est *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum.*

3. Hoc peccatum est contra virtutem religionis. Quia res sacræ indignè tractantur si pretio temporali commutantur. Est etiam contra justitiam, si venditur id, quod debebatur. v. g. si Parochus vendit confessionem. Item dum res cariùs propter consecrationem. v.g. calix venditur.

4. Simonia est triplex. Realis. Conventionalis. Mentalis. Realis *dum exhibetur vel promittitur res temporalis pro re spirituali acta vendita & tradita.*

Conventionalis est *dum convenitur de pretio & venditione, sed adhuc non est secutus effectus.*

Mentalis est *dum traditur res temporalis cū intentione accipiendi spirituale pro ea, sed sine convētione & pacto explicito vel è contra.*

5. Præter has assignari solet confidentialis: sed secundùm varias circumstantias est reducibilis ad prædictas.

6. Committitur Simonia confidentialis in collationibus & resignationibus beneficiorum, dum sc: confertur beneficium, cum confidentia, vel quòd sit resignandum alteri, vel collatori, vel ejus fructus aut aliqua pars.

7. Committitur Simonia offerendo quamcumque rem per modum pretij pro re sacra, Vnde dicitur, committi simoniam per munus à manu, per munus à lingua, per munus ab obsequio.

8. Tunc munus à lingua, v. g. preces, adulationes &c. habet modum pretij, si ex pacto & obligatione accipiatur, ut cum communi docet Bonac: vel si intendatur à conferente principaliter emo-

lu-

lumentum temporale, ut S. Th. explicat M. Sotus. Quod fit si Episcopus acceptet preces intuitu emolumenti temporalis.

9. Non sufficit ad Simoniam perfectam & realem traditio pecuniæ pro beneficio, sed debet esse traditio beneficij. Valet tamen traditio beneficij sine actuali traditione pecuniæ ad perfectam simoniam. Sotus & alij apud Fernandez.

De Usura.

10. Usura est *lucrum ex mutuo proveniens* v. g. dantur alicui viginti floreni, cum pacto ut reddantur viginti quinque, illi quinque sunt lucrum usurarium.

11. Non nego ex accomodato posse oriri usuram, sed definitio datur per mutuum, ut quid communius.

12. Distinguitur autem mutuum ab accomodato, quòd mutuum transeat in dominium mutuatarij, & sic ei, ut pote domino perit. Accomodatum verò non transit in dominium accommodantis, ut patet in veste accommodata.

13. Si aliquid supra rem mutuam præstatur, ad amicitiam conciliandam, non est usura. Quia præstitum debet esse pretio æstimabile, qualis non est amicitia.

De Restitutione.

14 Restitutio est actus justitiæ, justitia est *perpetua & constans voluntas ius suum unicuiq; tribuens*. S. Th: 2 2. q 58 a 1.

15. Dividitur in legalem, distributivam & commutativam. *Legalis est, quâ damus bono communi quod suum est, & sibi debitum*. v. g. inimicus facit incursum contra civitatem, omnes cives obligantur ad defensionem ex justitia legali.

16. Justitia distributiva est, *quâ damus unicuiq; debitum secundùm merita*. v. g. duo concurrunt pro dignitate obtinenda, ex justitia distributiva oritur obligatio conferendi digniori.

17. Major autem dignitas, non tantùm sumitur à scientia, sed etiam ab alijs, v.g. à probitate morum, &c.

18. Commutativa est, *quâ damus uni-*

cuiq; suum non secundùm merita sed secundùm æqualitatem rei ad rem, ut patet in emptione & venditione.

19. Obligatio restituendi ex tribus capitibus oritur. 1. ex re accepta. 2. ex injusta acceptione seu actione. 3. ex utroque. Obligatio ex re accepta. v. g. habeo rem alienam ad tempus, quo elapso teneor eam reddere. Obligatio restituendi ex injusta acceptione tunc est quando damnifico proximum nihil retinendo. v. g. comburo domum. Ex utroq;, quando rem alienam detineo damnificando v g. in furto.

20. Casus restituendi reducuntur ad sequentes versus.

Quis. Cui. Quod. Quantum vel ubi
Quo tempore. Quovè.
Ordine, sive modo. Te rogo mente notes.

21. Fructus sunt triplices. Merè naturales v g. partus pecorum. Mixti, v g. fructus vinearum. Merè industriales. v. g. lucrum ex pecunia furto ablata ludo acquisitum. Licèt pecunia sit restituen-

da, non tamen tale lucrum.

22 Triplex etiam culpa ex qua oritur obligatio restituendi. Lata. Levis. Levissima.

23. Lata dicitur quam communiter homines supinè negligentes committũt. v. g. relinquitur liber accommodatus in porta domus vel extra domum, est culpa lata.

24 Levis est dum homo non facit diligentiam, quam homines mediocriter diligentes faciunt, v. g. relinquitur liber in cubiculo, sed ostio aperto.

25 Levissima est dum homo non facit diligentiam quam faciunt homines suis rebus benè invigilantes. v. g. relinquitur liber in cubiculo clauso, sed non obserato.

DISTINCTIO VII.

Circa 8. Præceptum.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

1. Hoc

1. HOc præcepto prohibetur omne peccatum linguæ. v. g. falſum teſtimonium, mendacium, detractio, contumelia, convitium, murmuratio, ſuſurratio, deriſio, maledictio &c: Prohibetur etiam cooperatio ad hæc. Huc pertinet judicium temerarium, ſuſpicio, &c. Item prohibentur peccata in judicio commiſſa.

2. Falſum teſtimonium *eſt aſſertio falſi in præiudicium tertij.* includit mendacium, quod eſt *aſſertio falſi ad decipiendum proximum.* Licèt dicatur verum ſi putatur falſum, adhuc eſt mendacium.

3. Mendacium aliud jocoſum, aliud officioſum, aliud pernicioſum. Jocoſum eſt ob delectationem. Officioſum ob utilitatem. Pernicoſum in nocumentum proximi.

4. Dum quis in judicio teſtificatur falſum 1. peccat peccato mendacij. 2. peccato ſacrilegij, ſi adhibet juramentum. 3. peccato injuſtitiæ.

5. Detractio eſt *denigratio famæ alterius*

per verba in eius absentia. Differt à contumelia, quia contumeliosus per verba manifesta in faciem, removet honorem, Detractio ergo famam, contumelia removet honorem. Samuel de Lub: v. Detractio. v. dela Cruz exponendo 8. Decalogi præceptum q. 2. a. 2 dub. 1.

6. Scias quòd fama sit *multorum de aliqua re, voce prolata opinio* Honor est *exhibitio reverentiæ in testimonium alicuius excellentiæ*. Gab: à S. Vinc: v. Fama & v. Honor.

7. Contumelia est *inhonoratio alicuius per verba, aut signa denotantia malum culpæ.* v. g. si alicui dicatur fur, mendax &c. Differt à convicio quia per convicium repræsentantur mala sive pœnæ culpæ. v. g. dico, es cœcus, est convicium. Dico, es fur, est convicium, sed non tantum secundùm S. Th: 2. 2 q. 72. a. 1.

8 Quando *dicitur defectus minorationis seu indigentiæ est* improperium. v. g. si dicatur, ego te de fame eripui.

9 Murmuratio est *querela cum impatientia, in his, quæ homo patienter ferre deberet.*

10. Susurratio est, *qua quis obloquendo amicitiam inter aliquos tollit.*

11. Derisio, *quâ quis alterius malum vel defectum in ludum vel risum ponit ut erubescat.* Potest fieri verbo, cachinno, naso &c.

12. Detractio multipliciter fit. 1. imponendo falsum. 2. augendo peccatum. 3. revelando occultum. 4 dicendo, bonum malâ intentione factum. 5. negando bonum alterius. 6. malitiosè reticendo. 7. minuendo. 8 frigidè laudando. Armilla ex S. Th: exprimuntur his.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Qui negat aut minuit, tacuit, laudatq; remissè.

13. Fama sic restituenda. Qui verum crimen, occultum tamen, revelavit, dicat secundùm D. Th: 2.2. q.62 a. 2. ad 2. se malè dixisse, injustè diffamasse. Vel laudet in illa materia, in qua infamavit, ut docet Mosc: cum Lessio, v.g dicendo, hic homo tali virtute apud homines

claret. Nec mentitur, nam verè claret, cùm oppositum publicè non constet.

14. Dixi, *qui verum crimen &c.* Nam qui falsum crimen imponit, tenetur dicere se fuisse mentitum, quod si opus, tenetur jurare. Si non sufficit adducere testes sui mendacij. De la Cruz exponendo octavum præceptum, cum Bannez & Soto.

15. Honor restituendus. amicâ salutatione, ostensione majoris benevolentiæ, peculiari favore & honore. Qui modus sufficit superioribus erga inferiores. sc. Prælatis, Dominis, Parentibus, Magistris, Viro nobili erga plebejum.

16. 2. Adhibēdo ad mensam, dando locum honorificum. Hoc sæpè sufficit inter homines paris conditionis.

17. Petendo veniam. Qui modus servandus ab inferioribus erga superiores, & sæpè ab æqualibus si justè exigitur, nec plùs ante sententiam judicis est exhibendum, etiam pro summis injurijs, Hunc modum moribus gentium receptum, ait Lessius. Sciàs, magis humilem

veniæ

veniæ petitionem pro majori injuria exhibendam.

18. Maledictio est *quâ quis imprecatur alicui cum desiderio aliquod malum.* v: g: mortem, infamiam, &c.

19. Maledicere creaturas irrationales simpliciter absque alia ratione est verbum otiosum. Maledicere relatas ad DEUM vel ad bona hominis, est p. mortale. Maledicere creaturas irrationales prout referuntur ad aliquod malum, prout Job maledixit diei suæ, non est peccatum. Aliàs bonus Job peccasset, quod non est dicendum.

20 Maledictio non animo nocendi, vel ex subreptione est p. veniale ob imperfectionem actûs. Nisi illo parvo tempore, & in illa subita ira esset perfectus consensus, quia tunc esset mortale licèt transacta ira nollet tale malum. Armilla ex Caie. in Summa.

21. Habentibus consuetudinem maledicendi injungenda aliqua devotio. v.g. unum Ave Maria, vel formatio Crucis, vel nominatio Nominum JESUS MARIA

saltem semel singulis diebus, ut sic gratiam præservativam à tali consuetudine impetrent.

22. Judicium temerarium est, *dum quis sine sufficienti fundamento, iudicat malum de proximo.*

23. Suspicio est *dum quis assentitur uni parti cum incertitudine & cum formidine alterius partis.* Differt ab opinione, quia opinio in utramque partem ferri potest, suspicio verò fertur in deteriorem partem.

24. Tria ad temerarium judicium concurrunt. Deliberatè, sine sufficientibus indicijs, & sine formidine asserere. v. g. videtur juvenis in domo mulieris, vel loquens cum illa, & propter hoc tantùm, judicatur peccâsse, vel intendere peccare.

DISTINCTIO VIII.

Circa 9. & 10. Præceptum.

Non concupisces uxorem proximi tui.

Non

Non desiderabis domum proximi tui, non servum non ancillam, non bovem, non asinum, non omnia quæ illius sunt.

1. Circa hæc duo præcepta non multa occurrunt. Nam ea quæ sexto & septimo quo ad actum externum, nono & decimo, quoad desiderium prohibentur. Et sic ex notitia illorum, facilis notitia circa hæc potest haberi. Pro majori tamen notitia de cogitatione morosa, aliquid.

2 Itaq; cogitatio morosa tunc est, quando quis non intendit actu perpetrare peccatum v.g carnis vel quodcunque aliud, sed contentatur illa delectatione, quæ oritur ex imaginatione objecti illiciti. Dicitur morosa, quòd in ea mora, permittendo eam trahatur.

3 Consensus in cogitationem morosam est duplex, expressus & tacitus. Expressus est, quando voluntas positivè acceptat delectationem. Implicitus est, quando voluntas non consentit nec dis

sentit expressè, sed permittit durare cogitationem & delectationem. Qui plura desiderat circa Decalogum videat primum Sententiarum Moralium.

APPENDIX
DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

1. PRincipalia & antiquissima præcepta Ecclesiæ sunt quinque, ait Moscic: 2. p. Tyrocinij artis pœnitentiariæ c. 3. §. 3. sc: confiteri semel in anno, communicare in Paschate, Missam audire die festo, quò pertinet cessare à laboribus, solvere decimas & jejunare.

2. De confessione annua dicetur tractando de Sacramento Pœnitentiæ. De communione Paschali tractando de Sacramento Eucharistiæ. De die festo jam actum d. 3. hujus Opusculi. De decimis aliquid dicendum ut convenit scire Ordinandis relinquendo alia Casuistis.

3. Decima ergo est *fructuum iure quæsitorum pars decima, quæ ministris Ecclesiæ quot annis solvitur.*

4. Multis de causis est instituta. 1. ut profiteamur DEUM rerum omnium habere dominium supremum. 2. ut Ministri Ecclesiæ commodè alantur. 3. ut peregrini, advenæ & egentes subsidium habeant. 4. ut Parochi multa onera, inter quæ reparatio fabricæ sustineant.

5. De jejunio egi Opusculo 2. d. 8. §. 1. Aliquæ tamen consuetudines circa jejunium Polonis sciendæ.

1. Licèt dies Veneris, aliàs feriâ sexta. extra Quadragesimam & Vigilias SS. non sit de jure communi jejunium, in Polonia tamen est de consuetudine obligante loquendò etiam de jejunio rigorosè accepto, consistente in una comestione & vespertina collatiuncula. Accedit: hac die non conceditur usus lacticiniorum tempore Paschali.

2. Quandocunq; in Regno Poloniæ conceditur usus lacticiniorum, conceditur & cœna, attendendo consuetudinem. Hinc quia in Vigilia Pentecostes, diebus quatuor temporum ante festum

SS. Trinitatis, in eodem regno conceditur usus lacticiniorum, conceditur & cœna.

3. Jejunia consuetudinaria in Vigilijs B V. MARIÆ (jejunium autem in Vigilia Assumptionis est de jure communi) non sunt sub p. mortali observanda.



OPUSCULUM QUINTUM.

De Sacramentis.

DISTINCTIO I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

LY Sacramentum variè sumitur, 1. Pro juramento. 2. Pro amicorum & principium secreto. 3. Pro mysterio, est autem mysterium *res divina occulta naturalem cognitionem excedens.* 4. Sumitur propriè pro signo rei Sacræ.

Quiddi-

Quidditas Sacramenti.

2. Sacramentum est *signum rei sacræ sanctificantis nos.* S. Th: 3. p. q. 60. a. 2.

3. Per signum, intellige signum *ad placitum* sc: divinum, hoc est ex institutione Christi D. *Sacrum*, *Secretum*, *Practicum*. quia gratiæ conferendæ, *permanens*, *sensibile*.

4. Per rem sacram intellige gratiam sanctificantem, quâ ratione Crux, imagines, ceremoniæ sacræ, figuræ veteris Testamenti, non sunt Sacramenta. quia non sunt instituta ad significandam gratiam ut conferendam, seu quod idem, quia non sunt instituta ad justificationem hominis.

5. Sacramentum est signum trium rerum. Passionis Christi D. rememorativum, gratiæ demonstrativum, vitæ æternæ prognosticon, id est, prænũciativum. S. Th. l. c. a. 3. sed principaliter significat gratiam. S. Th: a. 3.

6 Tria in Sacramento reperiuntur. *Sacramentum tantùm, res tantùm, res & Sa-*

cra-

cramentum simul, v g. in Baptismo *Sacramentum tantùm* est exterior ablutio. *Res tantùm*, est gratia in Baptismo collata. *Res & Sacramentum simul* est character, S. Th. 3 p. q. 63. a 3. ad 2. Est autē *Sacramentum tantùm*, quod significat tantùm. *Res tantùm* quod significatur tantùm. *Res & Sacramentum simul*, quod significat & significatur.

7. Ad essentiam Sacramenti tria concurrunt. Materia, id est, res aliqua sensibilis. Forma, id est, verba, & intentio Ministri: In Sacramento Matrimonij sufficit aliquid loco verborum, v.g. nutus, vel aliud signum exprimens consensum.

8. Eugenius IV in literis unionis, hoc ponit discrimen inter Sacramenta novæ & veteris Legis, quòd Sacramenta veteris Legis, tantùm significaverint gratiam Sacramenta verò novæ Legis etiam causent.

9. Quod sic intellige. Sacramenta novæ Legis habent vim productivam gratiæ, Sacramenta verò antiquæ Legis

non

non habuerunt vim talem: movebant tamen & moraliter excitabant DEUM ad dandam, ritè suscipientibus gratiam, quatenus erant signa Christi venturi. Sumitur hæc doctrina ex Manuali Thomistarum P. Gonet: de Sac. c. 1.

Institutio & necessitas Sacramentorum.

10. Christus D. ut DEUS authoritativè & ut causa principalis, instituit Sacramenta, ut homo verò per potestatem excellentiæ, & ut causa ministerialis.

11. Omnia Sacramenta instituit Christus D. Trident: sess. 7. can: 1. Præcipuè propter justificationem & salutem æternam. Hic enim principalis finis & necessitas institutionis Sacramentorum.

12. Præter principalem necessitatem, quæ est justificatio & salus nostra, triplex assignatur à S. Th: 3. p. q. 61. a. 1. necessitas instituendi Sacramenta, sc: ut homo erudiatur, humilietur & exerceatur. Sic enim loquitur. *Per Sacramentorum institutionem homo convenienter suæ naturæ*

turæ eruditur per sensibilia. Humiliatur se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur. Præservatur etiam à noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum

13. In statu Legis naturæ fuerunt Sacramenta. Hæc autem Sacramenta fuerunt, externa protestatio fidei in Messiam futurum, & Sacrificia, illa ordinabatur ad delendum p. originale, & fiebat per parentes vel per alium pro parvulis. Sacrificia autem ordinabantur ad tollendum p. actuale Bonac: de Sacramentis, q. 1. punct 3. propositione 2.

14. Sed sciendum hæc Sacrificia alia, ratione fuisse Sacrificia, aliâ ratione Sacramenta. Cùm alia definitio Sacramenti, alia Sacrificij. S. Th: 3. p. q. 65. a. 1. ad 7. numerat etiam decimas inter Sacramenta Legis naturæ. Sed determinatum numerum Sacramentorum Legis naturæ assignare non possumus, ut patet ex his quæ docet Philippus à S. Trin: in 3. p. de Sacram: disp: 1. dub: 2.

15. In Lege Moysaica seu scripta fuerunt

sunt Sacramenta. Nam erat morbus per Sacramenta curandus. Erant autem. Circumcisio. Convivium Agni Paschalis. Purificationes ab externis immunditijs. Expiationes à peccatis. Consecratio Sacerdotum. Esus Panum Propositionis. Oblatio victimarum. Ablutio manuum & pedum. Rasio pilorum, &c. S. Th: 1: 2. q. 102. a. 5. Nec tamen determinatum numerum assignare intendit.

16. Scias ex Philippo à S. Trin: l. c. dub: 3. Ex ceremonijs Legis scriptæ illæ tantùm quæ significabant sanctificationem humanam, erant Sacramenta, aliæ verò tantùm Sacramentalia, ut proportione servatâ dicimus in Lege gratiæ, in qua sunt tantùm septem Sacramenta, licèt sint plures ceremoniæ sacræ, quæ dicũtur Sacramentalia, ut sumptio aquæ benedictæ &c.

17. Sacramenta legis Evangelicæ alia sunt necessaria simpliciter, alia secundùm quid & ad meliùs esse. Baptismus, Pœnitentia & Ordo sunt necessaria simpliciter, alia quatuor ad melius esse, hoc est,

ut solet dici sunt Sacramenta voluntatis & non necessitatis.

18. Baptismus ergo est cuilibet necessarius simpliciter, Pœnitentia supposito p. mortali post Baptismum. Ordo, Ecclesiæ S. Th: 3. p. q 65. a 4. Matrimonium autem ut Sacramentum ideo non est simpliciter necessarium Ecclesiæ, nam dato Matrimonio ut contractu civili tantùm, adhuc Ecclesia conservaretur.

19. Post Christi Passionem & resurrectionem obligare cœperunt Sacramenta, tuncque legalia cessarunt. *Si circumcidamini nihil vobis Christus proderit.* ad Gal: 5.

Materia & Forma Sacramentorum novæ Legis.

20. Duplex est Sacramentorũ materia remota & proxima. Remota est inter quã & formam aliquid mediat scilicet materia proxima. Materia proxima est, inter quam & formam nihil mediat.

21. Materia remota in Baptismo est aqua.

aqua. In Confirmatione, Chrisma. In Eucharistia, Panis & Vinum, absentia, ait N. P. Salazar. In Pœnitentia, peccata. In Extrema unctione, Oleum benedictum. In Ordine res, quæ traditur Ordines suscipienti. In Matrimonio, personæ contrahentes.

22. Materia proxima in Baptismo est ablutio. In Confirmatione & Extrema Vnctione, unctio. In Eucharistia, Panis & Vinum, ut præsentia, ut insinuat N. P. Salazar. In Pœnitentia actus pœnitentis. In Ordine, traditio materiæ remotæ. In Matrimonio, corporum traditio.

23. Mutatio formæ alia substantialis alia accidentalis. Substantialis est dùm mutatur sensus, v. g. dum loco baptizo, dico, nomino. Accidentalis, dum servatur idem sensus, v. g. loco baptizo, dico, abluo.

De Ministro & Subjecto, ubi & de Intentione.

24. Minister Sacramentorum novæ Legis

Legis est Sacerdos, excipe Baptismum in necessitate, & Matrimonium absolutè, quod ipsi contrahentes ministrant.

25. Subjectum Sacramẽtorum est solus homo viator, non tamen omnes sunt capaces omnium. Nam quidam sunt incapaces Matrimonij propter defectum ætatis &c. alij Ordinum ut fœminæ, alij Extremæ unctionis, ut sunt usu rationis carentes &c.

26. Intentio triplex. Habitualis, actualis, virtualis. Habitualis est *proclivitas ad faciendum aliquid ex frequenti usu acquisita* Hæc est etiam in dormientibus. Actualis est *præsens animi applicatio circa opus quod agitur*, quæ hic & nunc consistit in eo, ut quis attendat ad verba, & sensum verborum. Virtualis, quam S. Th: 3. p. q 64 a. 8. ad 3. vocat habitualem, *quâ quis ex virtute intentionis actualis non retractatæ perficit opus.*

27. Ministri intentio necessariò requiritur ad valorem Sacramenti, saltim virtualis, S. Th: loco cit. Sufficit autem ut minister habeat intentionem generalem

lem faciendi quod instituit Christus, vel quod facit Ecclesia Catholica.

28 Requiritur etiam intentio in suscipiente Sacramenta, sed diversimodè. Nam in adulto requiritur propria intentio. In parvulis ratione carentibus, sufficit intentio Ecclesiæ.

De primario Sacr: effectu, sc: gratia.

29. Sacramenta habent suam virtutem ex Passione Christi, quâ conferunt gratiam, non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, instrumentaliter tamen: cùm solus Deus principaliter causet gratiam.

30. Tunc gratia causatur ex opere operato, quando causatur ex virtute Sacramenti. Tunc verò ex opere operantis, quando ex dispositione suscipientis.

31. Hæc gratia quam causant Sacramēta, est duplex: communis & propria. Communis omnibus Sacramentis est gratia habitualis, seu justificans. Propria, aliàs Sacramentalis, sunt auxilia Divina, quæ conducunt ad consequendum uniuscujusque Sacramenti effectum.

32.

32. Gratia omnibus Sacramẽtis communis, alia est Prima, alia Secunda. Prima dicitur, quæ infunditur subjecto non habenti gratiam sanctificantem, consequenter existenti in peccato mortali, vel originali. Nam peccatum veniale compatitur gratiam. Secunda verò gratia est, quæ advenit subjecto in gratia existenti: & sic est ipsummet augmentum gratiæ sanctificantis.

33. In Baptismo ergo conferuntur auxilia Divina, quibus homo juvatur ad rectè suscipienda alia Sacramenta, & Christianè vivendum.

34. In Confirmatione dantur auxilia, quibus homo juvatur ad fidem coram Tyranno profitendam.

35. In Sacramento Eucharistiæ dantur auxilia ad actus charitatis & devotionis, quibus anima spiritualiter nutritur.

36. In pœnitentia dãtur auxilia ad satisfaciendum Deo pro peccatis præteritis, & ad vitanda futura.

37. In Sacramento Extremæ unctionis

nis dantur auxilia quibus reliquiæ peccatorum tolluntur, ut sunt proclivitas ad malum, languor & debilitas ad bonum: & quibus vincuntur tentationes.

38 In Sacramento Ordinis dantur auxilia pro bono usu officij suscepti.

39. In Sacramento Matrimonij dantur auxilia ad domandam libidinem, fidelitatem conjugalem servandam, curam prolis habendam, &c.

40. In rigore tamen Scholastico, Gratia Sacramentalis dicitur ipsamet gratia sanctificans, quatenus per tale Sacramentum datur; ordinaturque ad talem finem & quatenus ei debetur, conjungiturque ex Divina institutione tale auxilium. v. dicta in 2. Sent: Moral: d. 6. § adverte. An verò Sacramenta causent, etiam physicè gratiam, altioris est fori.

De secundario Sacr: effectu, sc: Charactere.

41. Character ex Græco, Latinè idem sonat ac figura, nota, seu signum, quo quis

quis ab alio distinguitur, & ad aliquid deputatur. Character Sacramentalis definitur à S. Th 3 p. q 63. a. 4.

Signaculum quoddam spirituale animæ indelebiliter impressum, ad suscipiendum vel aliis tradendum ea quæ sunt Divini cultus.

42 Est triplex Baptismi, per quem homo baptizatus ab infideli secernitur & ad suscipienda alia Sacramenta efficitur capax. Confirmationis, quo confirmatus à non confirmato distinguitur & ad eliciendos actus fidei roboratur. Ordinis, per quem ordinatus à laicis segregatur, & ad exercenda munera cuique Ordini propria adaptatur.

43 Prædicti tres characteres differunt inter se specie, cùm ad diversos actus ordinentur. Ordinum verò characteres etiam specie, sed incompletâ inter se differunt, sicut & ipsi Ordines specie incompletâ inter se differunt, ex quibus coalescit unum specie completa Sacramentum Ordinis. Labat de Sac. Ord: disp: 1. § 3. consequenter omnes Ordines imprimunt Characterē & non tantùm impressum perficiunt. 44.

44. Character ſubjectatur immediatè in intellectu. S. Th: 3. p. q. 63. art: 4. Nam cùm character per ſe primò ad actus Divini cultûs, quibus fit proteſtatio fidei, ordinetur, debet habere pro ſubjecto immediato illam potentiam, in qua immediatè ſubjectatur fides. Sed fides immediatè ſubjectatur in intellectu. Ergo & Character.

45. De Characteris effectu nihil occurrit: quia habetur ex definitione ſuperiùs data.

Numerus Sacramentorum.

46. Septem ſunt novæ legis Sacramenta, his verſibus contenta.

Ordinat & jungit, baptizat, chriſmat, & ungit.
Peccatum plangit, & in altari ſacra tangit.

47. Multæ ſolent aſſignari cauſæ, quod ſint ſeptem, nec plura, nec pauciora Sacramenta. 1ma. ex ſimilitudine vitæ ſpiritualis ad corporalem. Nam ſicut in vita corporali homo, primò na-

scitur, secundò augetur, & roboratur, tertiò cibo nutritur, quartò, ab infirmitate curatur, quintò, contra infirmitatis reliquias per exercitium & similia juvatur, sextò, propagatur, septimò in dignitate instituitur.

Sic in vita spirituali homo per Baptismum spiritualiter renascitur, per Cōfirmationem in fide roboratur, per Eucharistiam nutritur, per Pœnitentiam à peccati morbo curatur, per Extremam unctionem contra peccatorum reliquias, mortisque prælium juvatur, per Matrimonium Christianè propagatur, per Ordinem in dignitate Ecclesiastica constituitur. S. Th: 3. p. q. 65. a. 1. Aliam causam recitat idem S. D. loco cit: alias alij Doctores.

48. Ex his Baptismus & Pœnitentia, sunt Sacramenta mortuorum, quia supponunt hominem per peccatum originale & mortale mortuum, & conferunt primam gratiam. Reliqua sunt vivorum, quia supponūt per gratiam vivum, & conferunt secundam gratiam, seu augmentum Gratiæ.

49. Item ex his Baptismus, Confirmatio & Ordo imprimunt Characterem & non possunt iterari. Reliqua quatuor non imprimunt & iterantur.

Ritus Sacramentorum.

50. Ritus Sacramẽtorum est duplex; essentialis, in materia, forma, & intentione consistens, estq; de necessitate Sacramenti; & accidentalis consistens in ceremonijs Sacramentalibus, videlicet in actionibus Religiosis, quibus decenter Sacramenta ministrantur, estque de necessitate præcepti, nisi pravitas materiæ excuset; talis Ritus est immersio, vel infusio, vel aspersio in baptismo.

DISTINCTIO II.

DE SACRAMENTALIBVS.

1. SAcramentalia sunt *actiones, vel etiam res sacræ ad colendum Deum authoritate publicâ instituta, quæ vel adhibentur in usu Sacramentorum*, ut exorcismus, *vel ordinantur ad Sacramenta*, ordinantur autem

vel præcedendo, ut benedictio fontis baptismalis, &c. vel imitando Sacramenta. imitantur autem, producendo al quam sanctitatem, ut aqua benedicta causat remissionem p venialis, vel causando quasi sanctitatem, ut herbæ benedictæ causant expulsionem maleficiorum.

2. Sacramentalia communiter numerantur sex, his versibus contenta:

Orans, tinctus, edens, confessio, dans, benedicens.

Per *ly orans*, intelligitur oratio. Dominica, quæ inter omnes preces primatum tenet, unde in celebratione Missæ adhibetur.

Per *ly tinctus*, intelligitur aspersio aquæ benedictæ.

Per *ly edens* intelligitur manducatio panis benedicti, qui distribuebatur diebus Dominicis

Per *ly confessio*, intelligitur confessio peccatorum extra Sacramentum Pœnitẽtiæ facta & est signum illius, ad quam reducitur tunsio pectoris.

Per

Per *ly dans*, intelligitur eleemosyna, vel alia opera misericordiæ corporalia, vel spiritualia: hæc enim reducuntur ad pœnitentiam.

Per *ly benedicens*. designatur benedictio data ab Episcopo, vel alio jurisdictionem habente.

3. Huc revocantur multæ actiones sacræ, ut Exorcismi, insufflationes, benedictio fontis baptismalis, & vestium Sacerdotalium, prima tonsura, consecratio Chrismatis, olei infirmorum, templorum, calicum, &c. admixtio aquæ vino consecrando.

4. Sacramentalia causant beneficia corporalia, v.g. sanitatem &c. item remissionem peccati venialis & pœnæ ipsi debitæ sicut & expulsionem dæmonum, & fugam eorum. Quomodo autem? vide dicta in 2. Sent. Mor. dist. 10. ubi & alia reperies.

De Sacramentis in Specie.

DISTINCTIO III.

DE BAPTISMO.

Definitio, Divisio, necessitas Baptismi.

1. BAptismus ex Græco, Latinè ablutionem significat. Triplex assignatur: Fluminis, Flaminis & Sanguinis.

Baptismum Fluminis definit S. Th. 3. p. q. 66. a. 1. ex Magistro Sententiarum, in 4. dist. 3. Est *ablutio corporis exterior facta sub præscripta verborum forma.*

Subintelligе *à Christo Domino, instituta ad generationem spiritualem.*

Flaminis, consistit in actu contritionis vel charitatis cum desiderio saltem implicito suscipiendi baptismum fluminis.

Sanguinis, est Martyrium. Martyrium autem est passio seu lethalis cruciatus pro Christi fide, aut pro vera virtute susceptus.

Solus Baptismus fluminis est Sacramentum, alij verò dicuntur Baptismi, in quan-

quantū vices Baptiſmi fluminis ſupplent.

2. Baptiſmus inſtitutus fuit ante Chriſti Domini Paſſionem, quando Matth: 13. Chriſtus Dominus fuit in Jordane à Joãne Baptiſta baptizatus. Ita S. Th: 3. p. q 66. art: 2. Eſt neceſſarius, neceſſitate medij ad ſalutem æternam. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Joann: 3.

3. Dupliciter autem poteſt aliquid eſſe neceſſarium ſimpliciter ad conſequendam vitam æternam: nempe, neceſſitate præcepti & medij Illud eſt neſſarium neceſſitate præcepti tantùm, ad vitam æternam, quodſi culpabiliter & per negligentiam omittitur, impedit conſecutionem vitæ æternæ. Si verò inculpabiliter hoc eſt, vel per ignorantiam, vel per impotentiam, non impedit conſecutionem vitæ æternæ Cæterûm illud eſt neceſſarium neceſſitate medij, ad vitam æternam, quod licet inculpabiliter omittatur, impedit conſecutionem vitæ æternæ, ut patet in parvulo non baptizato.

4 Obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum non incœpit ante Chriſti mortem, cùm

lex vetus usque tunc duraverit, & obligaverit. Obligavit ergò præceptum suscipiendi Baptismum post Christi mortem. Et sic quæ dixi in 1. Sent: Mor: dist: 11. Conc: 3. in sententia aliorum dixi.

Materia & Forma Baptismi.

5. Materia remota Baptismi est aqua naturalis, elementalis, pura & simplex. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Joan: 3. Ideò autem Baptismus potiùs in aqua, quàm in alio institutus, quia aqua, est materia cōmunior, & ad usum facilior, & aliàs Baptismus est summæ necessitatis.

Imò non licet ministro seclusâ necessitate, quamlibet aquam naturalem puram & veram adhibere, sed benedictam, aliàs peccatum mortale.

6. Materia proxima Baptismi est exterior ablutio: cum Baptismus in usu materiæ consistat. secundùm illud Matt: 29 *Baptizantes eos*, id est abluentes.

7. Baptismus tribus modis potest confici, scilicet: immersione, infusione, & asper-

aſperſione: ſed ſervandus eſt ſub peccato mortali in Baptiſmo ſolenni propriæ Eccleſiæ ritus, niſi rationabilis cauſa excuſet.

8. Forma Baptiſmi eſt iſta: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.* Matt: ult: *Euntes docete omnes gentes baptizantes. In Nomine Patris, &c.*

9. Perſona baptizati debet exprimi, dicendo, baptizo *te*: Perſona verò baptizantis non neceſſario debet exprimi, quia *ly ego*, includitur *in ly baptizo.* Item Græci validè baptizant, nec tamen perſonam baptizantis exprimunt, baptizant enim ſic: *Baptizetur ſervus Chriſti N. In Nomine Patris, &c.*

10. Divinæ Eſſentiæ unitas & Perſonarũ Trinitas neceſſariò ſunt exprimenda: Et ſic in forma Baptiſmi dicitur, *In Nomine*, quod Eſſentiæ unitatem importat. Dicitur, *Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* quod Perſonarum Trinitatem denotat. Hinc dicens. Ego te baptizo, in Nominibus Patris &c. non baptizat. Sci-

as, *ly Nomen*, importat fidem, virtutem, authoritatem. Innocentius cap: 1. de Baptismo.

Minister & Subjectum Baptismi.

11. Duplex est Minister, scilicet solennitatis, & necessitatis. Minister solennitatis in Baptismo est Sacerdos, Qui sit proprius Parochus: potest committi Diacono, ut solenniter baptizet. Bonac: disp: 7. de censuris q. 3. puncto 7. ex Cajet: & Soto.

12. Minister necessitatis est omnis homo viator: quia cùm Baptismus sit maximæ necessitatis, minister ejus debet esse communis. Et sic in casu necessitatis etiam Judæus validè baptizat, si cætera concurrant. Patet ex Florentino, in decreto Eugenij.

13. Si duo concurrunt ad Baptismum quorum unus aquam fundit, alter verò formam profert, non valet baptismus: nam forma non verificatur.

14. Loquendo de subjecto Baptismi: omnis homo viator, est subjectum Baptismi, *Baptizate omnes gentes.* Matth: 28.

Et

Et ſic genitus ex bruto, & fœmina homine, non eſt ſubjectum Baptiſmi, quia non cenſetur verus homo.

De Effectibus Baptiſmi.

15. Multi ſunt effectus Baptiſmi, ex quibus ſex numerari ſolent. 1mus & præcipuus, eſt remiſſio peccati originalis, & omnium actualium Baptiſmum præcedentium. 2dus, eſt totius pœnæ peccato debitæ plena remiſſio, abſq; ulteriori ſatisfactione. 3tius eſt infuſio gratiæ ſanctificantis & virtutum ac donorum eam concomitantium. 4tus, ſunt auxilia fini Baptiſmi proportionata, ſcilicet, ad Christianè vivendum. 5tus, eſt unio moralis cum Chriſto ut capite ad participanda Chriſti merita. 6tus, effectus, eſt Character.

Præter hos effectus, qui ſunt ex inſtitutione Chriſti, eſt alius ex determinatione Eccleſiæ ſcilicet, ablatio irregularitatis, de qua in 2. Sent: Moral: d. 19. Concl: 3. & 6. & cognatio ſpiritualis.

De ritu Baptiſmi.

16. Inter alios, tres præcipuè ſunt ritus baptiſmi: Catechiſmus, Exorciſmus & Patrinus. Catechiſmus ex Græco ſignificat credendorum inſtructionem: hinc Catechumeni dicuntur, qui ante ſuſceptionem Baptiſmi, de fide inſtruuntur. Exorciſmus ex Græco ſignificat adjurationem per res ſacras, quâ dæmones ab hominibus pelluntur, ne noceant.

Patrinus eſt qui baptizandum offert & tenet, & pro eo fidem profitetur. Per quod oſtendit ſe infantem in ſuam curam recipere, & ſic obligatur de fide & alijs ad ſalutem æternam neceſſarijs baptizatum inſtruere.

DISTINCTIO IV.

DE CONFIRMATIONE.

Definitio, Inſtitutio & Neceſſitas Sacramenti Confirmationis.

1. CONfirmatio eſt *unctio Chriſmatis ab Epiſcopo facta in fronte hominis baptizati*

zati, sub præscripta verborum forma, ad perfectam vitæ spiritualis ætatem, & Christi Nomen audacter confitendum, ordinata. Sumitur ex S. Th. 3. p. q. 72.

2. Confirmatio est à Christo Domino instituta. & ut ait Fabianus Papa, ex traditione Apostolorum, constat esse in ultima Cœna institutam. Et patet ex usu Ecclesiæ consecrantis tunc ejus materiam. Ita infert, de la Cruz, de Confirmatione.

3. Et sic hoc Sacramentum non fuit institutum, quando Christus Dominus super pueros manus imponebat, cùm pueri illi nondum erant baptizati. Nec quando *Ioan.* 20. in Apostolos insufflavit: quia tantùm tradidit Spiritum S. ad remittenda peccata. Nec, dum ibidem dixit, *sicut misit me vivens Pater, ita & ego mitto vos*: nam tunc præbuit Apostolis potestatem hoc Sacramentum conferendi. Nec tandem ipso die Pentecostes: cùm potiùs contulerit hujus Sacramenti effectum.

4. Sacramentum Confirmationis non

est:

est simpliciter necessarium ad salutem, sed ad benè esse, utporè perfectionem salutis operans. Hinc sponte, & non ex contemptu illud omittens, venialiter tantùm peccat. S. Th: loco cit: art: 8. ad 4.

Materia & Forma Confirmationis.

5. Materia remota Confirmationis est Chrisma, seu unguentum ex oleo olivarum, & balsamo confectum, ab Episcopo consecrato benedictum.

6. Materia proxima hujus Sacramẽti est unctio in fronte per modum crucis facta. Dixi, *in fronte:* ut neque propter erubescentiam, neque propter timorem nomen Christi cõfiteri prætermittamus. Dixi etiam, *per modum Crucis*, aliàs forma Confirmationis non verificaretur.

7. Significat autem oleum, conscientiæ nitorem, balsamum, bonæ famæ odorem.

8. Forma Confirmationis est hæc: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.*

9.

9. Adverte: Sacramentorum materias & formas Antistitum cura ad hæc tempora conservatas, & in Concil: Florentino sub Eugenio IV. orientali & occidentali Ecclesia ibi congregataampliùs explicatas.

10. SS. Trinitatis expressio est de essentia hujus Sacramenti, cùm hoc ordinetur ad profitendam fidem. Sunt etiam essentialia illa verba, *Signo & Confirmo*; quia actio Sacramentalis est necessariò exprimenda. Et quidem utrumque verbum debet exprimi: cùm unum alteri non æquipolleat: aliud enim est signare, aliud confirmare.

11. Probabiliùs etiam est necessariam esse illam particulam, *Signo Crucis*: quia signare habet generalem significationem, & sic per prædictam particulam est determinandum.

12. Item necessarium est addere, *Chrismate salutis*: quia hæc non veniunt per verbum, *Confirmo*.

Minister, Subjectum, & Effectus Confirmationis.

13. Solus Episcop⁹ est Minister Ordinarius Sacramenti Confirmationis. Summus tamen Pontifex ex plenitudine potestatis committere potest simplici Sacerdoti Confirmationis collationem. S. Th. 3 p q. 72. art. 11. ad 1.

14. Ideo autem Episcopus maxillam seu genam confirmati percutit, ut eum admoneat ad persecutiones pro fide sustinendas, & ut recordetur se esse confirmatum.

15. Confirmationis subjectum est homo baptizatus, sine mortali, & usum rationis habens, quod ultimum, non est de necessitate, sed de congruentia. Recipiens autem Ordines ante Confirmationem, non peccat mortaliter, nec fit irregularis, ut docet Soto in Summa Dianæ relatus, V. *Ordinis subiectum*: Nam non est tam stricta intentio Tridentini, sed solùm consulit Episcopis, ut non promoveant carentes Confirmatione.

16. Confirmatio confert Gratiæ sanctificantis augmentum; ac quædam Divina auxilia ad confitendùm Christi fidem audacter. Secundò, cõtrahitur spiritualis cognatio, ut in Baptismo, non solùm impediens, sed etiam dirimens matrimonium. Trid: sess: 24. c. 2. Tertiò, confertur character per quem baptizato traditur potestas agẽdi spectantia ad pugnam spiritualem contra fidei hostes: sicut per Baptismum confertur potestas agendi pertinentia ad propriam salutem.

DISTINCTIO V.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Definitio, Institutio, & Necessitas Sacramenti Eucharistiæ.

1. *EVcharistia, est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi Domini, sub speciebus Panis & Vini, à Christo Domino institutum ad spiritualem hominis refectionem.*

2. *Licet duo sint elementa Panis scilicet & Vinum;*

Vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura, sed unum tantùm Eucharistiæ Sacramentum, Ecclesiæ authoritate ducti confitemur. Ex Catechismo Romano p. 2. c. 4. Hanc autem unitatem S. Th: 3. p. q 73. art: 3. ex unitate finis desumit, qui est, una refectio spiritualis.

3. Totus Christus est sub utraq; specie; imò totus est in qualibet parte, cum succedat in locum substantiæ panis & vini, quæ erat in qualibet particula. Hoc tamen sciendum est, sub speciebus Panis esse Christi Corpus, ex vi verborum consecrationis, Sanguis verò, anima, Divinitas, per concomitantiam. Sub speciebus vini, ex vi verborum sanguis, corpus verò & alia per concomitantiam.

4. Christus D. hoc Sacramentum instituit in ultima cœna, primâ die Azimorum nocte quâ tradebatur. Quo tempore panis fermentatus in omnibus finibus Israël non reperiebatur. Instituit inquam, dum dixit Apostolis: *Accipite & manducate; hoc est Corpus meum.*

Illis

Illis autem verbis *Ioann. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, fuit promissum hoc Sacramentum. Illis, *Nisi manducaveritis Carnem Filij hominis*, &c. præceptum est latum, & non institutum.

5. Propter hos fines Sacramentum Eucharistiæ institutum. Primò, ut in medio populi Christiani Christus sit realiter, licèt latenter, præsens. Secundò, ut fideles habeant refectionem spiritualem. Tertiò, ut detur Sacrificium in Ecclesia. Quartò, ut detur signum infiniti Amoris, quo Christus dilexit nos. Quintò, ut sit memoriale passionis. Tandem, ut detur pignus æternæ hæreditatis.

6. Sacramentum Eucharistiæ, in re & defacto susceptum, non est necessarium necessitate medij ad salutem æternam, aliàs sine eo mortuus non salvaretur, quod est falsum. Est tamen necessarium necessitate præcepti. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in nobis.* Joan: 6.

Mate-

Materia & Forma Consecrationis.

7. Materia Consecrationis Corporis Christi, est panis triticeus, ex communi sensu Ecclesiæ. Panis tamen ex siligine potest validè confici: cùm ex grano tritici in malis terris seminato nascatur. S. Th: 3. p. q. 73. a. 3.

8. Græcus in Græcorum Ecclesia in azymo cosecrans, & Latinus in Latinorum Ecclesia in fermentato consecrans, licèt validè consecret, peccat tamen mortaliter, utpotè propriæ Ecclesiæ ritum in gravi materia pervertens. Et hoc licèt fiat ob magnam necessitatem v. g. ad communicandum infirmum, ut docet communis, apud de la Cruz q. 1. de Euchar.

9. Ex his duobus ritibus rationabilior est Latinorum, ut probat S. Th: q. 74. art: 4. Quia hoc Sacramentum institutum fuit prima die azymorum, *Math: 26.* quâ die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat, ut habetur *Exod: 12.*

10. Materia Consecrationis Sanguinis Christi, est omne vinum, modo sit verè vinum. Est autem miscēdum aquâ, & hoc ob sanguinis & aquæ è latere Christi fluentium repræsentationem. Item ad significandam populi cum Christo unionem. Aqua enim populos, *Apoc*: 20. Vinum autem Christum: *Ego sum vitis vera*, Joan: 15. significat. Tandem quia Christus Dominus dilutum calicem consecravit, ut probat S. Th: 3. p. q. 74. art: 6.

11. Forma Consecrationis Corporis Christi, est, *Hoc est Corpus meum*. Forma Consecrationis Sanguinis Christi. *Hic est Calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Omittendo, *ly enim*, secundùm multos non est p. mortale.

De Ministro Consecrationis & Eucharistiæ.

12. Solus Sacerdos est Minister Consecrationis, ut patet ex 1. ad Cor: 11.

ibi

ibi. *Hoc facite in meam commemorationem*. Nam hoc ad solos Sacerdotes refertur. Licèt autem sit hæreticus, validè, sed sacrilegè consecrat.

13. Si Sacerdos habeat in manib' duas hostias, putans esse unam, nihil determinando, utraque manet consecrata, secundum communem DD. in Summa Dianæ, verbo, Eucharistia. Item, loquendo de minoribus hostijs, si Sacerdos credit esse quadraginta, & sunt 50. omnes sunt consecratæ. Samuel de Lublino, verbo, Eucharistia De la Cruz. q. 1. de Euch. Si absolutè intendat, nec de numero tantoperè curet.

14. Diaconus potest ministrare seu distribuere Corpus Christi D. in necessitate, jubente Episcopo, vel Presbytero, S. Th: 3. p. q. 82. a. 3.

De Subjecto Eucharistiæ.

15. Subjectum Eucharistiæ est omnis homo baptizatus, rationis compos, & benè dispositus. Plures autem sunt dispositiones, his versibus contentæ:

Lo;

Lotus, discretus, sanus, jejunus, & aptus, Contritus, fassus, mundus, rectèq; paratus.

Lotus, id est, baptizatus, discretus, id est rationis usum habens. Sanus, id est, stomacho benè valens, ne evomat. Jejunus, jejunio naturali. Aptus, id est, censuris non irretitus. Contritus, id est, de peccatis dolens. Fassus, id est, vocaliter confessus. Mundus, id est, non pollutus. Paratus, intellige, devotione, per actus v. g. fidei, spei, charitatis &c.

16. Conscius ergo peccati mortalis, obligatur ad præmittendam confessionem. Trid: sess: 12. c. 7. Imò oppositum docentes excommunicat. Can: 11. Et sic antiqui Theologi docentes sufficere contritionem etiam datâ copiâ Confessarij, post Concilium Trident: non sunt audiendi.

17. Sacerdos regularis non potest, cum sola contritione celebrare, quando non habet copiam Confessarij suæ religionis, habet tamen copiam alterius, sed non vult illi confiteri, ad vitandam suæ

reli-

religionis infamiam, quam ille côcipiet. Gab: à S. Vinc: & alij. Quia ex confessione nulla aut parva sequitur infamia religioni.

18. Non potest etiam quis in mortali existens, cum sola contritione communicare, si non habeat propriumConfessarium, cui possit devotiùs & utiliùs confiteri. Idem qui supra & alij. Nam reverentia huic Sacramento, debita & Divini præcepti obligatio prævalet propriæ devotioni & utilitati.

Obligatio sumendi Eucharistiam.

19. Trident: sess: 13 c ult: triplicem modum communicandi assignat. Spiritualiter tantùm. Sacramentaliter tantùm. Spiritualiter & Sacramentaliter simul. Manducare spiritualiter tantùm, est per fidem & charitatem Christo D. uniri, cum desiderio in re sumendi hoc Sacramentum. Manducare sacramentaliter tantùm, est Eucharistiam sine fructu sumere, qualiter sumũt in mortali existentes. Manducare utroque modo, est

non

non solùm Eucharistiam, sed & fructum percipere.

20. Sanctus Thomas 3. p. q. 80. art: 1. assignans duos modos, scilicet Sacramentalem tantùm & spiritualem, non contrariatur Tridentino. Nam per spiritualem intelligit illum, qui est cum fructu, sive sit realis, sive in voto tantùm.

21. In mortis articulo tenemur sub p. mortali ex præcepto Divino sumere Eucharistiam. Præter mortis verò periculum aliquoties in vita. Quia Eucharistia est instituta per modum cibi, qui in vita non semel est necessarius, S. Th: loco cit: a. 11.

22. Præcepto Ecclesiæ tenemur semel in anno communicare. Quod præceptum in propria Parochia, vel etiam in Cathedrali Ecclesia, vel alibi de Parochi licentia impletur.

23. Communicare ergo tenemur, dum ad annos discretionis pervenimus. Trid: sess: 13. Cant: 9. Annus discretionis in præsenti non tunc censetur quan-

do doli capaces sumus, & confiteri tenemur, sed tunc dum Sacramentum Eucharistiæ reverenter ac devotè suscipere possumus. Quod licèt accidere soleat dum pervenimus ad annum decimum vel undecimum, attamen non tantùm consideranda ætas, sed etiam industria, ingenium, consuetudo, & judicium prudentum. Mosc: 2. p. Tyrocinij artis pœnitentiariæ.

24. Magister Soto dicit, ante decimum annum potest puer communicari, si sit vivax. Vitanda tamen aliorum offensio, si valde parvulis quamvis sagacibus publicè conferatur.

25. Exploratores talium puerorum duo debent considerare: scientiam & affectum. an cognoscant, quid in hoc Sacramento contineatur. Deinde an in affectu ante sumptionem vehemens desiderium habeant, in usu verò aliquam suavitatem spiritualem vel gaudium sentiant, Mosc: loco cit.

Esse-

Effectus.

26. Multi numerantur hujus Sacramenti effectus. Proprius & principalis est, quòd conferat Gratiam per modum nutritionis & augmenti in vita spirituali: quia per modum cibi & potûs spiritualis hoc Sacramentum institutum.

Dicitur autem conferri gratia per modum nutritionis & augmenti, inquantum dantur quædam auxilia Divina, medijs quibus prorumpimus in actus devotionis & charitatis, quibus anima spiritualiter nutritur & augetur. De alijs effectibus v. dicta in 2. Mor: d. 44.

DISTINCTIO VI.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

1. SAcrificium consistit in hoc, quod DEO aliquid solenniter, & cum debitis ceremonijs offeratur, faciendo aliquid circa rem oblatam ad honorem & cultum DEI. Sic potest definiri. Sacrificium est *oblatio externa, rei alicuius perma-*

nentis, Deo facta cum rei immutatione in protestationem dominij, in vitam & mortem suæ creaturæ. Explicatio si placet, videatur apud nostrum P. Labat. in 3. p. tract: 2. disp. 5. dub: 1.

2. Missa quæ est Sacrificium in specie & legis Gratiæ sic definitur. *Est Sacrificium Corporis & Sanguinis D.N.I.C. sub speciebus panis & vini consecratis.* Congruè autem vocatur Missa, eò quòd oblatio & preces ad DEUM mittantur, sicq; illorum verborum; *Ite Missa est*, sensus est, abire licet, quia oblatio & hostia salutaris, jam transmissa est cum precibus ad DEUM pro vobis. Hugo de S. Vict: l. 2. de Sacr.

3. Scias ex Philippo à SS. Trin: disp: 8. de Euch: dub: 11. in Eucharistia alia ratio Sacrificij, alia Sacramenti. Nam ut Sacrificium, respicit DEUM directè tanquam terminum *ad Quem*: ipsi enim offertur ad gloriam & honorem propter bonum nostrum, ut Sacramentum, respicit filios Ecclesiæ, quibus datur ut alimentum spirituale animæ.

Vt

Vt Sacrificium, eſt quid tranſiens, completur enim in conſecratione. ut Sacramentum, eſt quid permanens. Nam licèt per Conſecrationem conficiatur, hac tamen peractâ permanet. In his ergo & alijs eſt diſcrimen.

4. Sacrificium Miſſæ à Chriſto D. inſtitutum, ut patet ex Trid: ſeſſ: 22. c 2. ibi: *Si quis dixerit illis verbis; Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinâſſe, ut ipſi aliiq; Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem ſuum: anathema ſit.*

5. Licèt autem à ſolis Sacerdotibus Sacrificium offeratur, miniſterio tamen eorundem ab alijs fidelibus offertur. Et ſic ait Sacerdos in Canone: *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium.* Et ſic fideles miniſterio Sacerdotum implent præceptum naturale, quo tenemur Deo offerre Sacrificia.

6. Sciendum ergo ſoli Deo ſacrificari, ut patet ex definitione ſacrifici. Nam licèt in honorem Sanctorum Deo ſacrificemus, ut patet ex præparatione ad Miſ-

 ſam,

sam, non tamen illis sacrificamus: potest enim actus soli Deo debitus pro honore Sanctorum fieri, ut patet in pœnitentia.

7. Essentia Sacrificij Missæ salvatur in Consecratione unius speciei, non verò integritas. Sicut & Essentia Eucharistiæ, etsi non integritas, salvatur in una specie. Attendendo actionem sacrificativam non idem est numero sacrificium Crucis, ultimæ Cænæ & Missæ, secus attendendo rem oblatam & principalem offerentem, qui est Christus. Dixi, *in consecratione*, nam Essentia Sacrificij Missæ non consistit in oblatione, quæ fit post Consecrationem, vel in sumptione, sed solùm in Consecratione, cum respectu tamen ad sumptionem ut necessariam ad integritatem Sacrificij. Horum brevem probationem v. in 2. Sent: Mor: dist: 46.

8. Occasione hujus scias à S. Th: 3. p. q. 83. a. 4. sex numerari partes Missæ, 1. Præparatio. 2. Fidei instructio, quæ incipit ab Epistola. 3. Oblatio. 4. Consecra-

ſecratio, quæ incipit à Præfatione: ad quam reducitur Oblatio poſt Conſecrationem. *Vnde & memores Domine, &c. Offerimus Maieſtati tuæ*. 5. Perceptio Euchariſtiæ, quæ incipit ab Oratione Dominica. 6. Gratiarum actio, quæ incipit à Poſtcommunione uſq; ad finem.

9. Finis Sacrificij Miſſæ eſt quadruplex. 1. ut DEO ſumma laus & honor detur. 2. ut gratiæ agantur pro beneficijs acceptis. 3. ut detur ſatisfactio pro peccatis commiſſis. 4. ut beneficia de novo obtineantur.

Attendendo primum finem. Sacrificium dicitur latreuticum. Attendendo ſecundum, dicitur Euchariſticum 3tium, propitiatorium. 4tum. impetratorium.

10. Sacrificium Miſſæ non confert immediatè ex opere operato & infallibiliter primam Gratiam: nec ſic remittit peccata mortalia, ut faciat ex attrito contritum. Et oppoſitum judicatur erroneum; Non etiam confert immediatè ex opere operato & infallibiliter augmentum Gratiæ

tiæ. Vterq; enim modus causandi gratiam, tantùm est Sacramentorum. Causat tamen Sacrificium Missæ gratiam, & augmentum gratiæ mediatè ex opere operato, impetrando auxilium Divinum, & sic non causat ista semper. Eodem modo causat alia bona spiritualia & temporalia, hoc est impetrando.

11. Per Sacrificium Missæ remittitur culpa venialis ex opere operato, non solum mediatè impetrando auxilium, per quod homo justus eliciat actum, qui sit formalis, vel virtualis detestatio peccati venialis, sed etiam immediatè & infallibiliter. Ita sapientissimus meus Professor, & Cathedraticus Viennensis, M. Reynerus in manuscriptis. Potest autem fieri hæc remissio per hoc, quòd homo ponat aliquem actum, qui licèt per se non sufficiat ad remissionem venialis, sufficit tamen ex superaddita vi Sacrificij, sicut v.g. attritio non sufficit ad remissionem mortalis, sufficit tamen adjuncta virtute Sacramenti Pœnitentiæ.

12. Sacrificium Missæ remittit pœnas tem-

temporales, quæ remiſsâ culpâ, reſtant ſolvendæ, vel in hac vita, vel in purgatorio, idq; ex opere operato immediatè & infallibiliter. Idem qui ſupra & communiter. Adverte ex S. Th: q. 79. a. 5. Virtute hujus Sacrificij non ſemper tollitur tota pœna, ſed major vel minor; juxta diſpoſitionem offerentium, & eorum, pro quibus offertur, quâ devotione modificatur valor infinitus Sacrificij ad effectum finitum.

13. Valor accidentalis Miſſæ ortus ex dignitate Eccleſiæ offerentis, orationibus, invocatione Sanctorum devotione Miniſtri, eſt finitus. Ortus ex re oblata & principali offerente, ſcilicet Chriſto eſt infinitus, habet tamen effectum finitum, & ſæpè nullum, unde multum prodeſt replicatio Miſſæ pro inclinanda Divina miſericordia.

14. Tres ſolent numerari utilitates ſeu fructus Sacrificij legis Gratiæ, qui ex applicatione oriuntur. Primus: ex Vniverſali intentione Eccleſiæ Sacrificium Miſſæ applicatur toti populo Chriſti-

ano, & præcipuè Papæ & Principibus Christianis, quo reducitur fructus, quem percipiunt Ministri & adstantes, qui sunt aliquomodo offerentes cum Sacerdote. Secundus, seu medius, ex intentione peculiari Sacerdotis applicatur cui ipse voluerit. Hic fructus secundùm Gab: à S. Vinc: verbo, Missa, correspondet Christo D: principali offerenti & ex facultate ab eodem concessa est applicabilis alijs. Et defactò Sacerdos tenetur hunc fructum applicare illi, qui v.g. eleëmosynam dedit. Gab: l. c.

Tertius, cedit ipsi Sacerdoti. Secundùm nonnullos potest Sacerdos fructum sibi provenientem alteri applicare, non tamen potest pro eo eleëmosynam accipere, ut determinavit Alexander VII, damnando propositionem 8vam. Ob eandem rationem Laicus suam Missæ partem potest alteri applicare, v.g. animabus purgatorij.

15. Vestes Sacerdotales pro celebrando sunt: Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola & Casula. Stola servire

po-

poteſt pro manipulo & è converſo. Villalobus & alij. Imò ſtola ſervire poteſt pro cingulo. Veſtes Sacerdotales debent eſſe benedictæ ſub p. mortali.

Qui tamen extra neceſſitatem non adhibet cingulum benedictum, non eſt damnandus peccati mortalis ob parvitatem materiæ. Si cingulum fractum, poteſt necti, ſi altera pars non ſufficiat. Sa: & Marchantius.

16. Meliùs eſt non celebrare (niſi aliàs Feſtum ſit ſolenniſſimum) quàm celebrare ſine miniſtro. Licet tamen celebrare ſine miniſtro v. g. die Feſto, pro dando viatico, vel dum adeſt ſimilis neceſſitas, ſed nunquam licet mulieri, etiam deficiente viro, miniſtrum agere, & ſtante neceſſitate ſatiùs eſt carere miniſtro, ut probat Bonac.

17. Si Miſſa dici ſit de feria, poteſt tunc dici alia votiva, aut de defunctis. Patet ex uſu timoratorum. Imò ſi Feſtum non ſit duplex, poteſt ex cauſa rationabili dici Miſſa Votiva, aut de defunctis. Quod procedit de Sacerdote in par-

ticu-

ticulari. ' ; Conventualis Missa, debet esse missa diei. Sic præcipitur cap: Cùm creatura, de celebratione Missarum.

18. Circa Cõmunionem hæc advertenda. 1mò. Sumptâ Hostiâ, non statim spuatur. Si oportet, tunc in loco honesto. 2dò. non statim comedatur, si fiat, non peccatur. Nam c. si manè. de Consecrat. Dist: 2. est abrogatum. 3tiò. Hostia leniter sumatur, anterioribus dentibus teratur, non totaliter conteratur, Per os non volvatur, sed linguâ mollesiat, ne aliqua pars dentibus adhæreat. Si plura petis, v. 2. Sent: Mor: de Sacrif.

DISTINCTIO VII.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ,

Definitio, Institutio, Necessitas hujus Sacramenti.

1. POEnitentia ut in præsenti. *Est Sacramentum in actibus pœnitentis & absol-*

solventis consistens, à Christo D. institutum per modum iudicij emendativi ad peccatorum remißionem. Vel etiam secundùm Moscic: *Sacramentum remißionis peccatorum post Baptismum commissorum.*

Pœnitentia verò ut virtus, *est quâ dolemus de peccato, prout est offensa Dei.* Ex quo patet Pœnitentiam dupliciter sumi.

1. Sacramentum Pœnitentiæ à Christo D. institutum, quando post Resurrectionem dixit: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Trid: sess: 14 c. 1.

Finis institutionis hujus Sacramenti, ut peccator, qui per peccatum à Deo recesserat, per gratiam in pristinam amicitiam redeat.

3. Supposito peccato mortali, Sacramentum Pœnitentiæ, est necessarium necessitate medij ad salutem æternam, saltim in voto, dum abest copia Confessarij.

Adverte. Quando per Sacramentum Pœnitentiæ in voto susceptum justificamur, requiritur dolor perfectus, seu Contritio. 4.

4. Non requiritur autem hoc votum, seu desiderium esse explicitum, sed sufficit implicitum, inclusum in generali proposito servandi omnia præcepta DEI. Fernandez p. 3. c. 6. §. 1. ex S. Th.

Materia hujus Sacramenti in communi.

5. Materia remota hujus Sacramenti, sunt peccata commissa post Baptismum. Hæc: alia est necessaria, alia, voluntaria, seu sufficiens. Mortalia non confessa, sunt materia necessaria. Venialia ... Materia volutaria.

6. Peccatum actuale ante Baptismum commissum non est materia hujus Sacramenti. Nam tale peccatum est commissum extra Ecclesiam, & sic non debet judicari ab Ecclesia.

7. Materia Proxima, seu partes materiales hujus Sacramenti sunt tres actus pœnitentis, sc: cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Primi duo, sunt Essentiales, nec sine illis potest confici hoc Sacramentum. Tertius, est pars integralis.

De Contritione, & Attritione.

8, Contritio est *dolor de peccatis assumptus propter Deum summè dilectum, cum proposito confitendi & satisfaciendi.*

9. Attritio est, *dolor de peccatis assumptus propter pœnas inferni, vel propter deformitatem peccati, cum proposito confitendi & satisfaciēdi.* Per illas particulas, *propter pœnas inferni, &c.* non designatur, quod finis attritionis, sint pœnæ inferni, &c. aliàs attritio esset actus vitiosus, poneret enim ultimum finem in creatura. Sed designatur, pœnas inferni &c. esse motivum & excitativum attritionis: finis enim debet esse Deus. Et in hoc attritio convenit cum contritione, differt autem in motivo quòd Attritio fit propter pœnas inferni &c. Contritio vero propter DEUM summè dilectum.

Sunt & alia motiva supernaturalia, ob quæ detestari possumus peccatum, sc, amissio gratiæ & gloriæ: sed hæc reducibilia ad præfata.

10. Contritio vocatur dolor perfectus

Attri-

Attritio, imperfectus. Quia per illam sine Sacramento in re suscepto, justificatur homo: per hanc verò extra Sacramentum non justificatur homo. Ideo Theologi dicunt, attritum recipiendo Sacramentum Pœnitentiæ, fieri contritum.

11. Tenemur conteri non solùm in periculo & articulo mortis, sed etiam aliquando in vita, sc. quando diu in mortali persistimus, v. g. per annum. Nam DEUS graviter punit eos, qui differunt Pœnitentiam. Vnde Isai 15. dicitur: *Omnes in cæde corruetis, propterea quòd vocavi, & non respondistis.*

12. Item tenemur conteri in casu magni mali in Repub: Quia sicut tenemur pro tali malo avertendo DEUM orare, ita obligamur comparare media, ut exaudiamur: medium autem est esse in gratia.

13. Item tenemur conteri, quando exercendus actus exigens hominem in gratia, v. g. quando administranda Sacramenta, vel quando suscipienda Sacramenta vivorum, Sacramentum tamen

Eucha-

Eucharistiæ licèt possit distribui præmissâ contritione, non tamen suscipi, nisi præmissâ Confessione. Trid: sess: 13. c. 7.

Puto tamen in præfatis casibus sufficere Contritionem virtualem inclusam in actu Amoris Dei super omnia.

Necessitas Confessionis.

14. Confessio est *legitima coram Sacerdote peccatorum declaratio*, S. Raym: apud Armillam, v. Confessio.

15. Præceptum Confessionis obligat. 1mò, in articulo, & periculo mortis. 2dò, quando sumenda Eucharistia, & sumus in mortali. 3tiò, semel in anno. Quod præceptum consuetudine alligatur tempori, sc: circa Pascha, ait Mosc: 2. p. Tyroc: artis Pœnit: de Confessione annuali.

16. Præceptum Confessionis annuæ obligat, dum ad annos discretionis pertingimus, & habemus conscientiam peccati mortalis. Fernandez p. 2. c. 8 § 3. allegans communem.

Nonnulli docent pueros post septennium

nium hoc præcepto obligari, quando uſus rationis in eis elucet, non autem antea, etſi rationis uſum habeant: nam hoc eſt per accidens, ad quod Eccleſia non reſpicit.

Hoc certiùs, pueros in articulo mortis ante ſeptennium conſtitutos, peccati mortalis conſcios obligari ad Confeſſionem. Si dubium de uſu rationis, conſequenter de peccato, abſolvantur ſub cõditione. Imò id fieri poſſe quando pueri confitentur extra articulum mortis, docet Diana.

17. Tranſgreſſoribus præcepti de facienda Confeſſione annua, nulla eſt certa impoſita pœna, ſed ſolùm imponenda. Nam in cap: utriusquè &c. ſolùm dicitur, ut arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ & careant Eccleſiaſticâ ſepulturâ, quæ pœna, non eſt impoſita, ſed per Judicem Eccleſiaſticum imponẽda. In Synodalibus tamen Conſtitutionibus ſolet apponi Excommunicatio latæ vel ferendæ ſententiæ.

Conditiones bonæ Confessionis.

Sedecim sunt conditiones bonæ Confessionis, his contentæ.
Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis:
Atq; frequens, nuda, discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata
Fortis & accusans, & sit parere parata.

Simplex, id est, sine admixtione historiarum & aliorum impertinentium.

Pura, id est, bonâ intentione facta v. g. ad placandum DEUM.

Fidelis, id est, vera. Nam si quis ex industria utitur talibus verbis, ut peccata non adeò curentur à Confessario, peccat.

Frequens. De frequentia Confessionis egimus agendo de necessitate.

Nuda, id est, verbis obscuris non involuta.

Discreta, id est, prudenter facta, ut verbis honestis explicentur peccata, præcipuè, carnis.

Libens, id est, voluntaria, non timore pœnæ, &c.

Lachrymabilis, id est, dolorosa.

Fortis, id est, superans timorem mundanum & verecundiam, ne fortè aliquid omittatur.

Accelarata, hoc est non dilata, nè subitò morte præventi non habeamus spatium pœnitendi.

Accusans, id est, sibi imputans, non influentiæ cælesti, vel alteri.

Parere parata. Pœnitens enim tenetur satisfactionem acceptare. Item in relinquendis peccatorum occasionibus. Confessario obedire. Aliarum conditionum notitia patet ex terminis.

Integritas.

18. Confessio duobus modis est integra: Materialiter & Formaliter. Est integra materialiter, quando aliquis habet v. g. decem peccata, & omnia confitetur. Integra formaliter, quando rationabili facto examine, confitemur omnia nobis occurrentia. Sufficit esse integram formaliter. DEUS enim non plùs exigit, quàm possimus. Confessio materiali-

tialiter integra, dicitur integra physicè, Formaliter integra, dicitur integra moraliter.

19. Ad integritatem Confessionis necessarium est examen conscientiæ. Quare pœnitens circa peccata mortalia, tenetur tantam inquisitionem præmittere, quantam adhiberet in negotio arduo, seu, quanta judicio prudentis Viri judicatur sufficiens ad omnia peccata in memoriam revocanda. Hæc inquisitio sufficit mediocris, & non requiritur summa, Bonac: ex Navarro & alijs. Qui pluribus negotijs distracti, qui parvæ memoriæ, qui diu non confessi, magis tenentur, conscientiam examinare.

Circumstantiæ peccatorum.

20. Circũstantia peccati est accidens quoddam actûs humani peccaminosi. Alia est speciem mutans, hoc est alterius speciei malitiam habens, v. g. circumstantia adulterij addita fornicationi, facit ut præter peccatum fornicationis, specie distincta malitia inveniatur in eodem

actu libidinis. Alia est intra eandem speciem aggravans peccatum. Alia minuens, alia nec aggravans, nec minuens sed impertinens.

21. Clariùs explicando: circumstantia speciem mutans, tunc est, quando peccatum secundùm unam rationem contrariatur alij virtuti. v.g. dum furatur, peccat contra justitiam, si verò in Ecclesia, contra religionem.

Circumstātia aggravans tunc est, quādo peccato accrescit nova ratio, absque eo, quòd peccans contra distinctam virtutē faciat, v.g dum furatur 20 florenos, est circumstantia aggravans, eò quod peccáto nova ratio modalis accrescat, sc: majoritas injustitiæ. Gāgericus in annot: in Sūmulam Cajet: v. Confessio Quodsi furans distinctis actibus prædictam quātitatem attingeret, non circūstantia, sed numerus foret in Confessione explicādus.

Numerus Circumstantiarum.

22. Septem sunt circumstantiæ. Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Per

Per *ly quis*, denotatur peccans, complex, & in quem peccatur.

Per *ly quid*, denotatur damnum & scãdalum ex peccato secutum.

Per *ly ubi*, denotatur circumstantia loci sacri. Scias, Sacrilegium in furto committi auferendo sacrum de sacro vel non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro v. dicta in 2. Moral: dist: 60.

Per *ly quibus auxilijs*, denotantur instrumenta peccandi.

Per *ly cur*, denotatur circumstantia finis.

Per *ly quomodo*, denotatur circumstantia modi, v. g. si accepisti alienum vi.

Per *ly quando*, denotatur circumstantia temporis v. g. festi, sed hæc secundùm communem sententiam non est necessariò explicanda.

Numerus peccatorum.

23. Numerus peccatorum mortalium distinctè in confessione explicãdus. Trid: sess: 14. Can: 7. Non sufficit dicere *aliquoties*. Armilla & alij. Quodsi non pos-

possit haberi: exprimat pœnitens numerum verisimilem addendo *plùs vel minùs*, quibus verbis satisfit pro aliquibus peccatis, quæ ultra numerum confessum postea veniunt in mentem. *Plùs minusvè* extenduntur pro numeri cui adjunguntur, multitudine, quod arbitrio, prudentis relinquitur. Navarrus docuit in numero centum peccatorum *plùs vel minùs* extendi ad decem, & Mosc: docet in numero denario extendi ad duo.

24. Distinctio numerica peccatorum colligenda est, vel ex interruptione per notabile tempus: quod autem sit notabile tempus relinquitur judicio prudentis. vel ex interruptione per mutationem animi. vel ex consummatione totali actûs. Sunt enim in actibus humanis nonnulli, qui habent certum terminum, in quo consummantur, una v.g. copula maris & fœminæ, unum homicidium, hæc autem consummatio actûs, ita distinguit peccatum, ut licèt immediatè post aliud sequatur, plura sint peccata. Et sic: qui per noctem cum amasia dormivit

mivit, tenetur numerum copularum explicare.

Satisfactio.

25. Satisfactio Sacramentalis *est passio voluntaria pœnæ pro peccato, à Confessario impositæ ad placandum Deum cum proposito eum ampliùs non offendendi.*

Tenetur autem Confessarius imponere culpis proportionatam satisfactionem juxta prudens arbitrium. Trid: Sess: 14. cap. 8. Dixi, *iuxta prudens arbitrium.* Nam magis attendēda præsens pœnitentis dispositio, quàm culpæ præteritæ gravitas.

26. Opera externa, quæ imponi possunt in satisfactionem, sunt jejunium, oratio, & eleëmosyna.

Jejunium comprehendit omnia opera pœnalia carnis, quales sunt mortificationes.

Oratio comprehendit omnia opera spiritualia, v.g. celebrationes Missarum, auditiones, & his similia.

Eleêmosyna comprehendit omnia opera misericordiæ.

implens pœnitentiam in mortali, satisfacit præcepto Confessarij, nec peccat mortaliter sic implendo. De la Cruz & Filliucius, relati in 2. Mor: dist: 63.

Absolutio.

27 Absolutio à Censuris præmittatur absolutioni à peccatis. Si non constat incurrisse Censuram: præmittatur ad cautelam. *Si teneris aliquo vinculo.*

28. Scias: suspensionem non afficere, nisi Clericos. Quare si absolutio fertur in non Clericum, dicatur. *Si teneris aliquo vinculo Excommunicationis & Interdicti &c.* omittendo particulam, *suspensionis.*

29. Absolutio à peccatis est hæc. *Ego te absolvo à peccatis tuis. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S.*

30. In his tantùm consistit Essentialiter absolutio à peccatis: *Absolvo te ita* communiter D.D. Ly tamen *à peccatis tuis* non omittatur. Idem de invocatione SS. Trinitatis.

31. Sensus verborum: *Ego absolvo te à peccatis tuis, hic est: ego tibi confero gratiam,* *quan-*

quantùm est ex se, remissivam peccatorum. Sic enim forma verificatur, licèt quis accedat contritus & justificatus.

Quæ servanda sunt in absolutione ab Excommunicatione, non tam pertinet ad Ordinandos, quàm ad pro Confessionibus approbandos. v. tamen dicta in 2. Mor: dist: 64.

De Ministro hujus Sacramenti.

32. Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ: non tamen omnis, sed habens Jurisdictionem in hoc foro.

33. Jurisdictio, ut nunc accipitur, est potestas, quæ habetur in alios, ad ipsos gubernandos ac in regnum cœlorum dirigendos.

Alia est ordinaria, alia delegata. Ordinaria habetur ex vi officij. Talem habet Papa, Episcopus, Parochus, &c. Delegata, datur ab habente ordinariam. Talem habent Regulares.

De Reservatis.

34. Casus reservati alij sunt Papales,

alij Episcopales, alij reservati Prælati Regularium, pro suis subditis. Papales alij reservati in Bulla Cœnæ Domini alij in alijs Bullis & decretis.

Episcopales reservati sunt triplicis generis, quidam de jure, quidam de consuetudine generali, hoc est, qui in omnibus Episcopatibus communiter reservantur, quidam de consuetudine particulari, sc. hujus vel illius Episcopatûs. Sed hæc magis ad Confessarios.

Conditiones Ministri Pœnitentiæ.

35. Cõditiones Ministri Pœnitentiæ quinque numerantur.

Potestas.

36. Potestas, alia est Ordinis, alia jurisdictionis. Potestas Ordinis habetur ex Sacerdotio. Jurisdictionis, ex officio Pastoris, vel etiam ex commissione proprij Pastoris.

Scientia.

37. Confessarius tantâ debet pollere scientiâ, ut valeat de statu Pœnitentis judicare & discernere mortalia à venialibus.

bus. 2dò. ut valeat cognoscere circumstantias speciem mutantes, & notabiliter aggravãtes 3tiò quib⁹, ãnexa restitutio bonorum corporis, famæ & honoris 4tò, an peccatum reservatum, an habens annexam Excommunicationem &c. & sic tenetur scire casus reservatos, censuras, saltim communiores & idem de irregularitatibus 5tò. quæ dispositio necessaria in pœnitente. tandem. quæ remedia contra peccata.

Prudentia.

38. Scire debet Confessarius quomodo se gerere debeat erga pœnitentem, modò enim suaviter, modò severè & arguendo, modò instruendo, modò ad alia incitando.

Bonitas.

39. Ad bonitatem Confessarij pertinet ut sit in gratia, aliàs exercendo officium Confessarij, sacrilegium committeret. Item, ne sit aliquâ censurâ innodatus.

Sigillum.

40. Sacerdos frangens sigillum, Con-

fessionis, triplex peccatum committit. Detractionis, infamando proximum. Infidelitatis, non servando secretum Sacrilegij, faciendo contra reverentiam hujus Sacramenti. Gonet in Manuali Thomist: de Sacr: Pœn:

Docet tamen Mosc: in Exam: approb: tit: 7. q. 10. nullam esse Censuram aut pœnam defacto præter peccatum mortale. undè primò est pœna depositionis ferendæ. 2. Cogendus est talis Sacerdos, ut perpetuò ignominiosè peregrinetur, quæ, ut refert Opatovius de Pœn: disp. 13. q. 11. mutata est in reclusionem perpetuam, in monasterio. Sextam conditionem, ponit Mosc: sc: fortitudinem, quam explicat 3. p. Tyroc: c. 4.

De Clavibus Ecclesiæ.

41. Clavis Ecclesiæ non aliud est quam *potestas ligandi & solvendi, quâ iudex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere debet à regno cælorum.* S. Th: q. 17. suppl: art: 2.

42. Duæ sunt claves in Ecclesia, una

Scientiæ, quæ non consistit in habitu scientiæ, *sed in authoritate iudicandi de dignitate aut indignitate pœnitētu.* 2da. *Potestatis*, quæ consistit in authoritate pronuntiandi, vel non pronuntiandi sententiam absolutionis. ex S. Th: I. c. a. 3.

Effectus Pœnitentiæ.

43. Ex Thomistis P. Labat tres numerat effectus Pœnitentiæ. 1. gratia remissiva mortalium quò reducitur remissio pœnæ æternæ, remanente tamen reatu pœnæ temporalis; non tamen semper, si sit fervida contritio pœnitentis. 2. remissio venialium. 3. recuperatio virtutum, & meritorum mortificatorum.

Bonac: addit irrevocabilitatem peccatorum & obligationem Sigilli. Sed has Labat revocaret ad remissionem peccatorum.

De Indulgentia.

44. Indulgentia est *remissio pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ, extra Sacramentum facta, ex thesauri Ecclesiastici dispensatione.*

Dicitur: *extra Sacramentum*, ad differentiam remissionis Sacramentalis, hæc enim fit per divinam liberalitatem, facta verò per indulgentiam, fit cum quadam compensatione, per quam de thesauro Ecclesiæ solvitur. Sam: de Lub: v. Indulgentia.

Nomine *thesauri* veniunt merita Christi D. Item intercessiones & satisfactiones Sanctorum. Hæ satisfactiones SS. debent superare peccata quondam à SS. facta.

Tantùm autem mentionem feci meritorum Christi D. Nam actiones Sanctorum quatenus meritoriæ non ingrediuntur thesaurum Ecclesiæ ut docet P. M. Labat in fine trac: de Pœn: cùm ut tales etiam ultra condignum præmientur à DEO.

45. Indulgentia distinguitur à suffragio. Suffragium enim fit pro alio authoritate privatâ, applicando suam satisfactionem, vel applicando ut satisfaciat. Indulgentia verò fit authoritate publicâ Nam dispensare Thesaurum Eccle-

siæ

siæ nc, convenit nisi Papæ, & cui concesserit.

46 Indulgentia plenaria distinguitur à Jubilæo sed accidentaliter, inquantùm Jubilæum addit potestatem à reservatis, & commutandi vota sed non omnia.

47 Plena verò plenior & plenissima distinct one nominis tantùm gaudent. Opat d 4 q 3. Et exagerationem denotant.

De Jubilæo.

48. Jubilæus seu Jubilæum est *Indulgentia plenaria, cum aliis gratiis in Brevi expressis, authoritate Apostolica concessa, his qui conditiones impleverint.*

49 Conditiones ad consequendum Jubilæum regulariter seu ordinariè sex numerantur. 1. Processio. 2. Oratio 3. Jejunium. 4 Eleemosyna. 5 Confessio. 6. Communio.

Tractatui Sacramenti Pœnit. annecti immediatè solet tractatus de Censuris ut facit Dignissimus P. Innocentius Le Masson Carthusianus, N. P. Labat & alii ideò sit.

DISTINCTIO VIII.

DE CENSURIS.

1. CEnsura est *pœna Ecclesiastica hû vel illû Ecclesiæ bonû privans* Juxta Canonistas tres sunt Censuræ. Excommunicatio. Suspensio. Interdictum. His addit M. Soto, & communiter Theologi, ait De La Cruz in præsenti, irregularitatem, non in tota latitudine sed ut habet rationem pœnæ.

De Excommunicatione.

2. Excommunicatio est *censura Ecclesiastica, quâ homo Christianus communibus fidelium bonû privatur.* Fernandez p. 2. suæ Theologiæ c. 9. secutus Cardinalem Toletum.

3. Excommunicatio alia major, alia minor. Major definitur à De La Cruz. *Est censura Ecclesiastica privans externâ communicatione fidelium, tam in civilibus quàm in divinû, & communibus orationibus & suffragiû.*

Minor: *Est censura Ecclesiastica privans paßivâ Sacramentum receptione,* 4.

4. Communia fidelium bona quibus excomm: major privat, sunt tria. Exterior conversatio, quæ in mutuo colloquio & convictu consistit. Sacramentorum participatio. Orationes & suffragia Ecclesiæ.

Effectus Excomm: Majoris.

5. In his quæ sequenti versu continentur, prohibetur conversatio seu participatio cum excommunicato.

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Per ly *Os* denotatur conversatio quovis modo v. g. verbo, signo, scripto. Per ly *Orare* denotatur, simul interesse divinis. Per ly *Vale* denotatur salutatio, honoris exhibitio. Per ly *Communio* denotatur contractus civilis. Per ly *Mensa* denotatur una mensa, unus lectus, non tamen unum cubiculum, si habitent ut alieni habitatores. Innoc: apud Fernandez de Excomm: § 12. Hæc ergo prohibentur cum excommunicatis non toleratis: aliàs incurritur excommunicatio minor.

6.

6. Sunt autem excommunicati non tolerati, notorij Clericorum percussores. Ita nominatim denuntiati, hoc est, per sententiam judicis declarati incurrisse excommunicationem.

Nullitas Excomm: Minoris.

7. Casus quibus licet conversari cum excomm: non tolerato sequentibus continentur.

Vtile. Lex. Humile. Res ignorata. Necesse.

Per *Vtile* intelligitur omnis rationabilis & sufficiens utilitas temporalis & spiritualis. Licet enim conversari cum excommunicato non tolerato, dando ei victum, consilium, imò & hæc recipere ab eo, etsi aliqua verba misceantur urbanitatis causa.

Per ly *Lex* intelligitur lex Matrimonii. Nam conjugibus concessa ad invicem conversatio, licèt unus sit excommunicatus non toleratus.

Per *Humile*, intelliguntur subjecti, v. g. filii, servi, familiares, pupilli. Quid per ly *res ignorata & necesse* denotetur, ex terminis patet.

De Suspensione.

8 Suspensio est *censura Ecclesiastica privans usu Ecclesiastici officij vel beneficij.* Pro officio intellige tam Officium Ordinis quàm jurisdictionis. Pro beneficio intellige, tam beneficia curata quàm simplicia, atque etiam Dignitates & Canonicatus.

9. Tribus modis fit suspensio, seu ut alij loquũtur tres sunt spěcies suspensionis. Prima ab officio tantùm. 2. à beneficio tantùm. 3. ab utroq;.

De Interdicto.

10. Interdictum est *censura Ecclesiastica privans aliquorum Sacramentorum ministratione & receptione, divinis officijs etiam audiendis, sepulturâ Ecclesiasticâ & ingressu Ecclesiæ.* v. Sententias Morales. l. 3. d 18.

11. Triplex est interdictum. Locale. Personale Locale & Personale simul. Termini sunt clari.

Cessatio à divinis.

12. Cessatio reducitur ad interdictum est *simplex prohibitio, quâ Ministri Ecclesiæ pro-*

prohibentur persolvere divina officia, ministrare aliqua Sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro. Gab: à S. Vinc: *v. Cessatio.*

13. Differt ab interdicto, quia cessatio non est censura ut docet Opatovius: cùm non ponatur in pœnam, sed in signum gravissimi mæroris ab Ecclesia concepti propter gravissimam injuriam. v.g. si Clerus in se vel in suis bonis supra modum gravatur.

Alias differentias v. in Sent. Mor L. 3. d. 19. Item ibidem & d. 18. v. alia in particulari.

De Irregularitate.

14. Irregularitas est *impedimentum iure Canonico introductum ad suscipiendos aut exercendos Ecclesiasticos Ordines.*

15. Alia est ex defectu, alia ex delicto. seu: alia est sine culpa, alia ex culpa. seu: alia est ob indecentiam, alia quæ etiam est ex culpa. Seu alia est pura inhabilitas, alia etiam pœna.

16. Irregularitas ex defectu est multiplex, Ex defectu corporis. Ex defectu

animæ, qualiter sunt irregulares illiterati. Ex defectu Sacramenti, qualis est irregularitas bigamiæ, in qua deficit repræsentatio Christi juncti Matrimonio cum una sponsa Virgine Ecclesia. Ex defactu lenitatis, qualis est ex homicidio aut mutilatione. Sic dividit De La Cruz.

Ad irregularitatem ex defectu corporis reducitur ex defectu natalium, originis, bonæ famæ &c. v. dicta in Sent: & alibi.

17. Irregularitas ex delicto etiam provenit ex multiplici capite. Ex delicto causante infamiam. Inducente pœnitentiam publicam. Ex iteratione baptismi. indebita Ordinum susceptione. Exercitio Ordinum tempore Censuræ. Exercitio Ordinis qui non habetur. Ex delicto hæresis. Tandem ex homicidio vel mutilatione injusta. Sic dividit Lezana irregularitatem ex delicto.

DISTINCTIO IX.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

1. CОngruè hoc Sacramentum dicitur Extrema Vnctio, quia ultimò eâ ungitur homo. Primò ungitur in Baptiſmo. 2 In Confirmatione. 3. In Sacerdotali ordinatione. Tandem in Extrema Vnctione.

Definitio. Institutio. Necessitas.

2. Extrema Vnctio eſt *Vnctio hominis infirmi, à Sacerdote in determinatis partibus corporis facta, Oleo per Episcopum consecrato sub præscripta verborum forma, ad salutem animæ, ac etiam corporis, si expedit, divinitùs ordinata.*

3. Hoc Sacramentum Chriſtus D. inſtituit, & S. Jacobus promulgavit.

Probabile eſt, eſſe inſtitutum unà cum Sacramento Pœnitentiæ, cùm ſit hujus conſummativum. Gonet in Manuali Thomiſt; §. 1. De extrema Vnct.

Et

Et sic quando Christus D. Marci 6 misit Apostolos, Oleo ungere infirmos, hoc Sacramentum potiùs insinuavit, & non instituit. Nam Apostoli nondum Sacerdotes hanc Vnctionem, etiam non baptizatis conferebant.

4. De necessitate hujus Sacramenti, idem dic, ac de necessitate Confirmationis.

Materia, Forma, Minister.

Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivarum simplex ab Episcopo benedictum: Proxima verò est Vnctio.

Forma: *Per istam Sanctam Vnctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum; In Nomine Patris &c.*

Eadem forma in omnibus unctionibus repetitur, mutato partium ungendarum nomine.

Nec per tot unctiones & formas hoc Sacramentum multiplicatur. Quia hæ partiales unctiones & formæ ordinantur ad unum finem, sc: ad tollendas reliquias peccatorum, quæ ex sensibus oriuntur.

5.

5. Minister hujus Sacramenti, est proprius Pastor, vel alius Sacerdos de illius licentia.

Subjectum.

6. Homo fidelis lethaliter infirmus, est capax hujus Vnctionis. *Infirmatur quis ex vobis &c.* Jacob. 5. Non tamen expectandum extremum periculum. Ministretur ergo hæc Sacra Vnctiō infirmis de quorum vita timetur, præ senio deficientibus, amentibus, lucida intervalla habentibus, & devotionem ad hoc Sacramentum tempore lucidi intervalli ostendentibus. Infirmis in phrenesim lapsis, si dum erant sanæ mentis, illud petierunt, nec Sacramenti irreverentia timetur. Imò secundùm Samuelem de Lublino, & Armillam, licèt antea non petijssent; modò sint personæ, bonæ vitæ secûs, si vita sit notoriè mala.

Cæcis à nativitate, surdis &c. mutilatis: in partibus vicinis ministretur, quia licèt exteriùs per hæc non peccaverint, peccare tamen potuerunt per po-

ten

tentias interiores illis correſpondentes. Ex vulnere morituris.

7. Hoc Sacramentum negari debet ſanis, conflictum, mare procelloſum ingredientibus, ad mortem damnatis, mulieribus in partu exiſtentibus, niſi ex morbo in periculo mortis verſentur, amentibus à nativitate, pueris rationis uſu carentibus, peccatoribus obſtinatis, mortuis: de quibus ſi dubitetur, detur ſub conditione.

Partes Ungendæ.

8. Neceſſario ungendi ſunt quinque ſenſus, tanquam quinque peccandi radices. Aliquæ particulares Eccleſiæ etiam pedes propter greſſum, & renes propter concupiſcibilis ardorem ungunt. Sed renum unctio in mulieribus pudoris gratiâ omittitur.

9. Obſerves: Sacerdotes non in palma, ubi Chriſmate ſunt uncti, ſed in exteriori manûs parte, vel infra palmam ungi debere: licèt abſolutè nihil referat in palmis ungi.

10. An verò inter partes ungendas necessariò sit servandus ordo, negandum est. Sed quòd utrumque organum sensûs ex præcepto sit ungendum, tenet Bonac: in præf· punc: 5. ex Naldo, ubi viget consuetudo.

11. In casu necessitatis, unum oculum, aurem, manum, narem, & os, velociter sine forma Crucis ungere sufficit, & unam formam dicere. *Per istam Vnctionem, & suam piyssimam misericordiam indulgeat* Tibi *Deus, quidquid peccâsti per visum, auditum, gustum, odoratum & tactum.*

Iteratio.

12. In una infirmitate, in qua infirmus nonnisi semel appropinquat morti, non debet hæc sacra Vnctio iterari. Sed si post Vnctionem in periculo mortis factam, à quo infirmus liberatur, elapso aliquo tempore arbitrio prudentis Viri, in aliud periculum incidat, etsi plenè non convaluerit, potest iterum ungi.

Effectus.

13. Extremæ Vnctionis tres præsertim nu-

numerantur effectus. 1. est gratia tollens reliquias peccatorum: quæ sunt debilitas ad resistendum diaboli tentationibus, debilitas ad sustinenda mala, proclivitas ad malum. Hic effectus est primarius. 2. Est remissio peccatorum. 3. Sanitas corporis, quando expedit.

Præter hos sunt & alij, sc: diminutio pœnæ pro peccatis debitæ, protestatio decedentis, quòd in fide moriatur, spiritualis animæ hilaritas, devotionis excitatio, robur contra dæmonis insidias, tandem diabolicæ potestatis arctatio. Sed hi ultimi quatuor ad primum producuntur.

DISTINCTIO X.
De SACR: ORDINIS.

1. COngruè hoc Sacramentum dicitur Ordo, quia per illud in certo dignitatis Ecclesiasticæ gradu debitè collocamur.

Definitio, Institutio, Necessitas.

2. Ordo, est *Signaculum quoddam Eccle-* *siæ,*

ſtæ, per quod ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato. Mgr: in 4 diſt: 24.

3. Inſtitutus à Chriſto D. in ultima Cœna dicente: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et licèt tunc præcipuè inſtitutumSacerdotium,attamen & alijOrdines inſtituti, utpotè eminenter in Sacerdotio contenti, & ad hoc ordinati.

4. Eſt autem Ordo principaliter inſtitutus ad communemEccleſiæ utilitatem, & ad aliorum ſalutem, in quos ſpiritualis poteſtas exercenda. Eſt neceſſarius ſimpliciter toti Eccleſiæ & non cuilibet in particulari.

Materia, Forma, Miniſter.

5. Materia remota ordinis eſt res quæ Ordinando traditur. Proxima, eſt talis rei traditio. Forma, ſunt verba ab Epiſcopo modo imperativo prolata, cum facultatis, quæ confertur, expreſſione.

6. Solus Epiſcopus eſt Ordinarius Sacramenti Ordinis Miniſter.

Conditiones.

7. 1. Confirmatio. 2. Prima tonſura.

ra. 3. Ætas legitima. 4. Intentio. 5. Morum probitas testimonialibus comprobata. 6. Dimissoriæ, si alibi ordinatur, etiam pro prima tonsura. 7. Vitæ bonitas, hoc est, esse in gratia. & sic supposito mortali peccato, necessaria confessio vel saltim contritio pro exigentia casuum. Nam si communicandum, necessaria confessio. 8. Scientia: 9. Temporum interstitia. Et sic Minoribus initiatus per annum expectet Subdiaconatum, & eadem interstitia serventur inter alios Ordines.

10. Tempus. Conferantur ergo Ordines Sabathis quatuor Temporum, nec non Sabatho *Sitientes*, & Sabatho sancto, tempore Missæ. Minores tamen conferri possunt diebus Dominicis & Festivis, dummodò Episcopus non videatur tenere generalem ordinationem. Sed prima Tonsura quolibet die conferri potest.

11. Locus. Qui in ordinatione solemni est Ecclesia. In privata, sacellum, vel capella.

12. Titulus. Hic triplex eſt. Beneficij. Patrimonij. Paupertatis ſeu Profeſſionis in Religione approbata. &c.

13. Carere impedimentis de quibus mox.

Ætas.

8. Pro tribus Minorib⁹, ſeptem completi. Pro Acolythatu, duodecim completi. Pro Subdiaconatu vigeſimus ſecundus, pro Diaconatu vigeſimus tertius, pro Sacerdotio vigeſimus quintus, inchoati. Pro Epiſcopatu trigeſimus completus. In defectu ætatis ad ſacros Ordines ſolus Papa diſpenſat.

Si ultimus dies ætatis ſit inchoatus poteſt quis ordinari. Quia in favorabilibus dies inchoatus, habetur pro completo, *l, quâ ætate ff, de teſtam.*

Scientia.

9. Prima Tonſura non detur, niſi ſcienti rudimenta fidei, & niſi legere & ſcribere ſcienti. Item niſi intendat mũdo renuntiare, Trid: ſeſſ: 23. c. 4. quoad omnes partes.

Mino-

Minores non dentur ei, qui saltem linguam latinam non intelligit. Trid: l. c. 11. & addit. *Nemo iis initietur, quem non scientiæ spes maioribus Ordinibus dignum ostendat.*

In Subdiaconos & Diaconos non ordinentur, qui literis & ijs, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, non sunt instructi. Trid: 13. & addit. *Sciant maximè decere, si saltem diebus Dominicis & solemnibus, cum altari ministraverint, sacram Communionem perceperint.* Per literas, intellige divinas, quas v g. Cathechismus Romanus, & similes libri continent.

Sacerdotium denegetur non habenti scientiam, quâ populus necessaria ad salutem doceatur, eiq; Sacramenta administrentur. Trid: l. c. cap: 14.

Mortaliter peccat qui indigno confert Ordines, quia infideliter dona DEI dispensat, Ecclesiæ detrimentum facit, honorique Divino. S. Th: in suppl. q. 36. a. 4. Hæc conditio ab aliis vocatur Examen.

Impedimenta.

10. Prohibentur promoveri ad Ordines. 1mò. ignoti. 2dò. bigami. 3tiò. neophyti. 4tò. corpore vitiati. 5tò. de thoro illegitimo nati. 6tò. servi. 7mò, ad ratiocinia obligati ante factam rationem, v.g. tutores. 8vò homicidæ, quāvis justè occidant, v.g. carnifex, se vel alium mutilans. 9nò. hermaphroditi, etiamsi sexus virilis prævaleat, præcipuè, si res notoria. 10. omnes alij irregulares.

Numerus Ordinum.

11. Septem sunt Ordines. Ostiariatus. Exorcistatus. Lectoratus. Acolythatus. Subdiaconatus. Diaconatus. Presbyteratus.

Hi unum efficiunt Sacramentum Ordinis. Vnum inquam perfectione finis, cùm omnes ad unum finem ordinentur. sc: ad conficiendam Eucharistiam.

Omnes ratione Sacramenti gaudent cùm omnes secundùm S. Th: in 4. d. 24. q. 1, a. 2. q. 1. in O. characterē imprimant.

12. Isti Ordines differunt inter se: alij enim

enim sunt Majores &Sacri, alij Minores, & non Sacri. Majores, quia majora illis incumbunt ministeria, & dicuntur Sacri, quia habentes tales Ordines possunt tangere res sacras. Obligantur ad castitatem & ad officiumDivinum, unde sunt Deo specialiter mancipati.

Minores verò dicuntur, quia minora illis incumbunt ministeria, nec habent annexa, votum castitatis & Officium Divinum.

13. Majores sunt: Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, Minores, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus.

Prima tonsura.

14. Prima tonsura non est, nisi, largo modo, Ordo, sed solùm dispositio ad Ordines. Multò minùs Cantoratus, cùm non habeat specialem respectum ad Eucharistiam.

Imò nec Episcopatus est propriè Ordo, sed Ordinis eminentia & extensio: S.Th: in 4. d: 24. q: 3. art: 2. in O. & in Suppl: q 40. a. 5. Vide dicta in 4. Sent:

Thomist: d. 51. Idem docetur de Papatu, à fortiori, nec Archiepiscopatus, Primatus, Metropolitatus, Patriarchatus, Cardinalatus, est Ordo.

15 Definitur Tonsura: *Est professio quædam vitæ spiritualis, per quam homo numeratur in Clerum, & fit capax beneficij Ecclesiastici, aliorumq; privilegiorum.*

16. Dicitur, Prima Tonsura, quia ante omnes Ordines primò conferri solet. Qui illam suscip.t, appellatur Clericus.

17. Sic confertur: Tondentur capilli in summitate capitis admodum Coronæ, quæ significat perfectionem vitæ, & quilibet dum tondetur, dicit: *Deus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Cath: Rom.

18. Tondentur capilli ad significandum, quòd sicut capilli, qui sunt pars corporis supervacanea, ita anima Clerici debet contemnere res externas & esse vacua curis humanis. Cath: Rom: de Sacr: Ord.

19. S. Petrus dicitur primam tonsuram

tām primò instituisse in memoriam Coronæ spineæ impositæ Capiti Christi: Cath: Rom ibid.

Ostiariatus.

20. *Est spiritualis potestas, per quam ordinatus in Ostiarium, potest dignos recipere, & indignos, ab introitu templi repellere, ad Eucharistiæ Sacramentum recipiendum.*

Ejus materia remota, claves Ecclesiæ, proxima; earum ab Episcopo traditio, cum quibus ab Archidiacono, aut ab alio vicem gerente deducitur, ad claudendam & aperiendam januam Ecclesiæ. Aliqui pro materia addunt cymbalum. Forma verò: verba Episcopi, in quorum prolatione & clavium traditione character imprimitur.

Lectoratus.

21. *Est spiritualis potestas, quâ ordinatus in Lectorem potest prophetias in Ecclesia legere.* Ejus materia remota liber prophetiarum, proxima, traditio. Forma, verba Episcopi, in quorum prolatione & materiæ traditione character imprimitur.

Exor-

Exorcistatus.

22. *Est spiritualis potestas, quâ ordinatus in Exorcistam potest dæmonem expellere, ne quempiam ab Eucharistiæ sumptione impediat.* Ejus materia remota liber exorcismorum. Forma, verba Episcopi, in quorum prolatione & materiæ traditione charater imprimitur.

Acolythatus.

23. *Est spiritualis potestas, quâ ordinatus in Acolythum potest ad altare urceolos cum vino & aqua, ac candelas deferre.* Ejus materia remota saltem unus urceolus, & candelabum cum candela extincta. Proxima horum traditio. Forma, verba Episcopi. Character imprimitur in traditione urceoli secundùm S Th: in Suppl: 3. p. q. 38. art: 5. ad 6. cùm iste actus sit principalior, & immediatiùs ad Eucharistiam ordinatus: fit enim præparatio materiæ. In candelabri traditione, utpote actu secundario, character potiùs extenditur quàm imprimitur. Et licèt

Aco-

Acolythus à candelabri ministerio denominetur, non ideò fit quia principalius sed notius.

Subdiaconatus.

14. Est *spiritualis potestas quâ ordinatus in Subdiaconum potest calicem cum pane & vino ad conficiendam à Sacerdote Eucharistiam præparare.* Ejus materia calix vacuus cum patena vacua. Proxima, horum ab Episcopo traditio. Forma, verba Episcopi, in quorum prolatione & materiæ traditione character exprimitur.

Opatovius de Sacr: Ord: præter assignatam materiam proximam, assignat traditionem libri Epistolarum. Sed Gab: à S. Vinc: hanc dicit esse complementum & partem integralem ad significandum actum secundarium.

Hæc servantur in collatione Subdiaconatûs.

15. Primò examinatur quoad scientiam & alia requisita 2. datur illi titulus, vel beneficij vel Patrimonij, ut habeat unde vivat. Si verò ante ordinationem

fecerit pactum de non petendo, vel restituendo postquam ordinatus fuerit, id quod illi pro titulo datum, peccat graviter, utpotè in gravi materia decipiens Episcopum & incurrit suspensionem. v. De La Cruz de susp: n. 15. Si durante suspensione exercet Ordinem susceptum, incurrit irregularitatem à solo Papa dispensabilem. Si casus occultus, Episcopus dispensat. Nav: in Man: c. 27. Tertiò paratur cum alba, cingulo & manipulo. Quorum significatio in sequentibus explicabitur. Hæc alijs ordinibus sacris applicanda.

Diaconatus.

26. Est *spiritualis potestas quâ ordinatus in Diaconum potest Evangelium solemniter in Ecclesia canere.* Materia remota liber Evangeliorum, proxima ejusdem traditio; Excepto Sacerdotio, sufficit materiam tradere per Archidiaconum: Sà v. Ordo n: 6. Forma sunt verba Episcopi in quorum prolatione, & materiæ traditione character imprimitur,

Opat: de Sacr: Ord: disp 1. q. 4. præter traditionem libri Evangeliorum assignat pro materia proxima manuum impositionem. Sed Gab: à S Vinc: pro perfectione & complemento.

Tempore tamen Apostolorum materia erat manuum impositio, & modò est apud Græcos. Vnde ad similes difficultates dicendum est materiam à Christo D. in genere: in specie verò ab Ecclesia determinatam. v. Gonet in Manuali Thomistarum de Sacr. Ord c. 3.

Presbyteratus.

27. Presbyter ex Græco idem dicit quod Senior, non tantùm spectando ætatem sed & morum gravitatem, prudentiam & doctrinam.

Attendendo rem. Presbyter est *qui habet potestatem conficiẽdi corpus & sanguinem Christi* D. Quia Presbyteratus definitur: *Spiritualis potestas quâ Ordinatus in Presbyterum, corpus & sanguinem Christi D. conficit.* Ejus materia remota est calix cum vino & patena cum hostia. Proxima horum

traditio. Forma. *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasq; celebrandi in Nomine Domini* In hujus prolatione & materiæ traditione character imprimitur.

28 Institutus à Christo D. in ultima cœna, panem & vinum in corpus & sanguinem convertente. Et tunc instituti alij Ordines, utpote in Sacerdotio eminenter contenti, non recurrendo ad alias difficultates quando instituti.

Officia Ordinum.

29. Officium Ostiarij est januam Ecclesiæ aperire & claudere. 2. cymbalum tempore Sacrificij pulsare. 3. excludere ab Ecclesia indignos. Tales sunt infideles, hæretici, excommunicati, interdicti. 4. admittere dignos. 5. Missæ assistere, ne quis propius quàm par est ad altare accedat. 6. cohibere strepitus, clamores, & alia, quæ celebrãtem turbant, &c.

Officium Lectoris.

30. Est prophetias in Ecclesia legere. Catechismus Rom: dicit, etiam lectiones ex novo testamento annuntiare: sed

hic

hic actus secundarius. Nam materia hujus Ordinis est liber Prophetiarum.

Refertur ab Opat: Lectorem aliquando legisse Evangelium supra pulpitum: quod intellige extra Missam & dum nocturnum officium peragitur.

Adverte. Dum dicitur, officium Lectoris esse prædicare, intellige recitativè legendo publicè Prophetarum libros.

2. Officium Lectoris est Catechumenos fidei rudimenta docere

Cave, ne in Minoribus existens, panes & novos fructus benedicas: hoc enim Lectori jam non committitur.

Officium Exorcistæ.

31. Est Nomen Domini super energumenos, hoc est, ab immundis spiritibus obsessos, invocare &c.

Officium Acolythi.

32. Est cereos deportare, dum Evangelium legitur, offerturq; sacrificium. 2do. Subdiacono urceolos cum vino & aqua ad Eucharistiam conficiendam præparare.

Officium Subdiaconi.

33. Eſt, 1. Panem & vinum in ſacris vaſis, Diacono, ut Sacerdoti offerat, præparare ac miniſtrare. 2. Epiſtolam in Miſſa ſolenni cantare. 3. Palas & Corporalia abluere. 4. Crucem in Proceſſionibus deferre, &c.

Officium Diaconi.

34. Eſt, Epiſcopum ſequi concionantem. 2. Miniſtrare ad altare. 3. Solenniter baptizare ex commiſſione Parochi, ſed in neceſſitate. 4. prædicare, ſaltim per modum catechizantis. 5. in Miſſa ſolenni Evangelium cantare, & in Matutino Homiliam recitare, &c.

Officium Sacerdotis.

35. Eſt, 1. offerre Miſſæ Sacrificium, quâ ratione dicitur, ſacra faciens. Huc revocatur preces pro populo ad DEUM fundere, & eſſe Mediatorem inter DEUM & hominem. 2. benedicere quâ ratione dicitur ſacrans. 3. præeſſe, quâ ratione dicitur præſul, vel etiam ſacer Dux inter perſonas conſecratas. 4. prædica-

re,

re, quâ ratione dicitur, sacra docens. 5. Sacramenta conficere & ministrare, quâ ratione Sacerdos, dicitur, sacra dans. Vnde in Pontificali hæc assignantur. Offerre, benedicere, præesse, baptizare (quo revoca alia Sacramenta) & prædicare.

Plura de his videbis apud Opatovium de Sacram: Ordinis.

36. Secundùm aliquos, ait Gab: à S. Vinc: v. Ordo, officium Diaconi & Subdiaconi præstari possunt ab existente in Minoribus, sine stola tamen & manipulo, aliàs esset irregularitas ex delicto. Qui verò nullis ordinibus initiatus, præfata officia nullo modo exercere valet, refert idem Doctor.

Onera Sacrorum Ordinum.

37. Qui in sacris Ordinibus constituti speciali obligatione tenentur ad castitatem, suntque sacrilegi per violationem ejusdem. Præterea tenentur sub p: mortali ad dicendas horas canonicas.

38. Occasione hujus, scias quatuor

esse

esse genera Personarum obligatarum ad horas Canonicas. In Sacris Ordinibus constituti, Beneficiati, Professi choro addicti & Moniales

Effectus Ordinum.

39. Duo præsertim numerantur, sc. augmentum gratiæ & character.

Ritus Ordinum.

40. Hi sunt. 1. Ordines non conferantur post prandium. 2. Sacri non dentur sine Missa. 3. dentur in Ecclesia Episcopali nisi aliter Episcopus ordinaverit. 4. cum debitis vestibus Minoribus initiandi cum superpelliceo accedant. In Subdiaconum ordinandus, cum amictu, alba, cingulo, manipulo & Dalmatica accedat. In Diaconum præter hæc, cum stola In Sacerdotem cum his, insuper cum casula, omissa Dalmatica, accedat.

Significatio vestium in Sacris constitutorum.

41. *Amictus* significat velum, quo Christi facies in domo Caiphæ velata fuit à Ministris dicentibus: *prophetiza nobis Christe, quis te percussit.* Alba

Alba significat vestem albam, quâ Herodes Regem gloriæ Christum induit irrisoriè

Cingulum quo alba comprimitur significat primum ligamen, quo Judæi, Christum comprehendentes ligarunt.

Manipulus significat secũdum ligamen, quo Christus D. flagellandus, ad columnam ligatus fuit.

Stola significat tertium ligamen Christi, quo, ad crucifigendum ductus, ligatus fuit.

Casula seu *Planeta*, significat purpuram quâ Christus ducendus in montem Calvariæ crucifigendus, in domo Pilati indutus fuit. Vel etiam Crucem, quæ in humeros ejus imposita fuit. P. M. Camillus in Cæremoniali Missalis O. N.

Alia significatio ex S. Thoma.

42. *Amictus* significat fortitudinem ad divina. *Alba*: puritatem. *Cingulum*: repressionem carnis.

Subdiaconus habet *Manipulum* in sinistra quasi sudarium ad extergendum vultum

tum, quo significatur extersio minimarum culparum (significat etiam *manipulus* fructum bonorum operum.)

Diacono additur *Stola* significans applicationem ad ministerium in ipsis Sacramentis.

Dalmatica vestis larga significat largam Sacramenti dispensationem. Ipse enim sanguinem dispensat (sed hoc jam non est in usu) in dispensatione autem largitas requiritur.

Stola in utroque humero Sacerdotis, plenam potestatē dispensandi Sacramēta.

Casula: Charitatem, quia conficit Sacramentum charitatis sc: Eucharistiæ. Ita S. Th: in supplem: 3. p. q. 40. a. 7; exceptâ utrâque parenthesi.

Significatio vestium Episcopalium.

43. Episcopis adduntur novem ornamenta super Sacerdotes, quæ sunt *caligæ, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, mitra, chirothecæ, annulus, baculus*, quia novem sunt quæ ipsi supra Sacerdotes possunt; sc: *Clericos ordinare, Virgines benedi-*

sère, *Basilicas dedicare*, *Clericos deponere*, *Synodos celebrare*, *Chrismа conficere*, *vestes & vasa consecrare.*

Per *caligas* significatur rectitudo gressuum.

Per *sandalia*, quæ pedes tegunt, contemptus terrenorum.

Per *succinctorium* quo stola ligatur cum alba, amor honestatis.

Per *tunicam* perseverantia, quia Joseph dicitur tunicam talarem habuisse, quasi descendentem usque ad talos, per quos significatur extremitas vitæ.

Per *Dalmaticum* largitas in operibus misericordiæ.

Per *Chirothecas* cautela. Per *Mitram* scientia utriusque testamenti, unde & duo cornua habet.

Per *baculum* cura pastoralis, quâ debet colligere vagos, quos significat curvitas in capite baculi, sustentare infirmos, quod ipse stipes signat baculi. Sed pungere lentos, quod significat stimulus in pede baculi, unde versus.

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta:

Per

Per *annulum* Sacramenta fidei, quâ Ecclesia desponsatur Christo. Episcopi enim sunt in Ecclesia loco Christi.

Sed ulteriùs.

Archiepiscopi pallium habent, signum privilegiatæ potestatis, significat enim torquem auream quam solebant legitimè certantes accipere. Hæc in terminis loco cit: sub conficere chrismæ, includitur confirmare.

DISTINCTIO XI.
DE MATRIMONIO
DEFINITIO & INSTITUTIO.

1. PRæambula Matrimonij sunt Sponsalia, quæ sunt *mutua futurarum nuptiarum promissio.* S. Th: in Suppl: q. 43. a. 1. Matrimonium verò secundùm rationem contractûs naturalis consideratum est *legitima coniunctio maris & fœminæ in usum cõiugij, individuam vitæ cõsuetudinem retinens*, Labat de Matrim: dub: 1. § 2.

Sed in ratione Sacramenti consideratum, est *novæ legis Sacramentum à Christo*

D.

D institutum causativum gratiæ unitivæ. N. P. Salazar.

Gratia enim quæ in hoc Sacramento datur, significatur per modum vinculi & conjunctionis & ordinatur ad mutuam supportationem. Item, ad honestam pro creationē & educationem prolis. Mosc: inExam: approb: tit: 1. q 5. Nec solùm in hoc Sacramēto significatur gratia conjungens conjuges adinvicem, sed etiam significatur minùs principaliter unio Verbi cum humanitate, & conjunctio Christi cum Ecclesia.

2. Juxta varietatem temporum est variè institutum matrimonium. In statu innocētiæ, est institutum in officium naturæ, ad propagandam speciem humanam. In statu naturæ lapsæ, ultra hoc, in remedium concupiscentiæ. In lege Gratiæ á Christo D. in ratione Sacramenti. S.Th: in Suppl: q. 42. a 2. Institutum inquam, sive Joan: 2. in Nuptijs. vel Matth: 19. dicendo: *Quod Deus conjunxit homo non separet.*

Differentia inter Sponsalia & Matrimonium.

Diffe-

3. Differunt in hoc, quod Matrimonium sit indissolubile, & non possit contrahi, nisi post annos pubertatis utriusq;. Sponsalia verò multis casibus solvuntur, & statim post septennium contrahi possunt.

Materia & Forma.

4. Materia remota, sunt ipsi contrahentes, vel corpora ipsorum.

Vtriusque conjugis consensus mutuò per verba, vel per nutus, expressus, est materia proxima, & forma hujus Sacramenti, sub diversa tamen ratione. Quatenus enim consensus conjugum habet rationem traditionis, est materia; quatenus habet rationem acceptationis, est forma. Sumitur ex D. Th. in Suppl: q 42. a. 1. ad 1. & 2.

Et sic verba Sacerdotis. *Ego vos conjungo*, non sunt forma hujus Sacramenti. Horum verborum non est sensus, *Ego vos conjungo*, aliàs non conjunctos, sed confirmo, & benedico vestram cõjunctionem; vel, ego vos conjũgo in facie Ecclesiæ, ut pro veris conjugibus coram hominibus

sitis. De la Cruz, de Matrim; q. 1. n. 1.

Minister.

5. Minister Essentialis Matrimonij, sunt ipsi contrahentes: cùm ipsi tantùm ponant formam, ut patet ex Concil: Florent: in Decreto Vnionis Armenorum. Sacerdos enim tantùm est Minister accidentalis, aliàs Matrimonia claudestina non fuissent valida ante Concilium Trid; quod est contra Sess: 24. c. 1.

Bona Matrimonij.

6. Sunt. Fides, proles, Sacramentum. Fides, ne cum alijs conjuges misceantur. Proles, ut Christianè educetur. Sacramentum, ut Matrimonium non separetur.

Finis Matrimonij.

7. Est. 1. propagatio speciei, & conservatio individuorum 2. remedium concupiscentiæ. 3. commoditas obsequij utriusque ad invicem.

Effectus.

8. Sacramenti Matrimonij, est Gratia unitiva, hoc est, gratia sanctificans, ut

ut importat mutuam concordiam, decentem usum Matrimonij moderando carnis concupiscentiam, familiæ prudentem gubernationem, Christianæ prolis educationem, rerum domesticarum diligentem curam, dispositionem, & fidelem dispensationem: Mosc: 1. p. Tyroc: artis Pœnit: §. 4. n. 25.

Banna.

9. *Antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solennia, publicè denuntietur, inter quos Matrimonium contrahendum,* Trid: Sess: 24. cap: 1.

Hæc faciant conjuges, ut rectè suscipiant hoc Sacramentum.

10. 1. Careant impedimento, præcipuè dirimente. 2. Careant peccato mortali, aliàs peccarent mortaliter sacrilegè. 3. Confiteantur & communicent. Sed hoc consilium. 4. devotè & reverenter accedant. 5. habeant rectam intentionem, & non contrahant libidinis causâ.

In-

In celebratione Matrimonij hæc facienda.

11. 1. Contrahant in facie Ecclesiæ. 2. coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de Parochi seu Ordinarij licentia. 3. adsint saltim duo testes. 4. interroget Parochus contrahentes, an velint contrahere Matrimonium de præsenti, & notificetur de illorum mutuo consensu. 5. Parochus dicat hæc: *Ego vos coniungo in Matrimonium, In Nomine Patris, &c.*

Post Matrimonium.

12. Parochus in libro ad hoc deputato nomina Conjugum, testium, diem, & locum contracti Matrimonij describat, & librum apud se diligenter custodiat.

Impedimenta impedientia tantùm.

13. Impedimenta Matrimonij duplicia sunt: alia tantùm impediunt, nè licitè contrahatur Matrimonium, validum tamen est. Alia, contractum dirimunt, tanquam invalidum.

14. Impedimenta tantùm impedientia sunt quinque: votum, interdictum, sponsalia, catechismus, & crimen.

15. Crimen est multiplex, quo commisso, non licet ducere uxorem. 1. occisio uxoris adulteræ propria authoritate facta. 2. Presbytericidium, per judicem declaratum. 3. Matrimonium cum Moniali scienter contractum. 4. susceptio proprij filij in Baptismo aut Confirmatione malo animo, ut scilicet contrahat cognationem cum propria uxore. 5. publica pœnitentia. Sed hæc, jam non est in usu. 6. raptus alienæ sponsæ. Sed hoc, post Trid: est etiam dirimens secundùm dicenda in sequentibus. 7. incestus cum propria affine, vel etiam cum consanguinea. Sed hoc secundum negat D. Th: & alij apud de la Cruz, q. 4 n. 1. de Mat. Hoc impedimentum criminis, juxta Sanchez, Ledesma, & alios apud Bonac: de Matr: qu: 3. punct: 14. n. 21. non inducit mortale, etsi dispensatio non petatur.

16. Si quis dispensationem desiderat

adeat

adeat Episcopum, qui in omnibus tantùm impedientibus impedimentis dispensat, excepto voto castitatis perpetuæ & Religionis. Candelabrum aureum de Matr: n. 110 ex D. Antonino & Palud:

17. Nomine voti intelligitur votum simplex Religionis aut castitatis, vel votum non nubendi.

18. Nomine Interdicti venit prohibitio, quâ certo anni tempore interdicitur Matrimonium ab Ecclesia. Item si ab Ordinario loci, aut Curato interdicitur contrahere Matrimonium, donec constet non esse impedimentum, aut aliam ob causam.

19. Tempus Interdicti incipit à media nocte præcedente primam Dominicam Adventûs, usq; ad Festum Epiphaniæ, & â mediâ nocte ante Feriam quartam Cinerum usq; ad Dominicam in Albis inclusivè. Trid. sess. 24. c. 10.

Interdicitur autem hoc tempore solennitas nuptiarum, v. g. accipere benedictionem in Ecclesia, aut convivium solenniter celebrare, & contra faciens

peccat mortaliter, quia in re gravi transgreditur præceptum Ecclesiæ. Bonac: l. cit: n. 4. cum alijs Doctoribus.

Non interdicuntur hoc tempore sponsalia. Item, non prohibetur contractus Matrimonij & consummatio atq; Bannorum publicatio: dùm modò nullæ adhibeantur nuptiales solennitates. Item, non prohibetur privatim traducere tempore interdicti sponsam in domum sponsi.

20. Impedimentum sponsaliorum, ut dum quis contraxit cum aliqua de futuro, non poteſt cum alia contrahere de præsenti.

21. Impedimentum Catechiſmi eſt, dum quis suſceptor fuit in Catechiſmo tantùm & non in Baptiſmo & Confirmatione, v. g. tenendo baptizandum, & reſpondendo ejus nomine Miniſtro interroganti, an credat, an renunciet diabolo? &c.

Impedimenta dirimentia.

22. *Error, conditio, votum cognatio, crimen, Cultûs diſparititas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,*

Si

Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptaq; sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Error Personæ.

23. Tunc est, si quis putat contrahere cum Catharina, & contrahit cum Agnete, &c.

Conditio.

Quando liber ducit servam, putans esse liberam, & è contra.

Votum Solenne.

Quale communiter est Religiosorum.

Cognatio.

Quæ est triplex, spiritualis, legalis & naturalis.

Crimen.

Est quadruplex. 1. Si adulteri sibi invicem promiserunt de Matrimonio contrahendo, post mortem alterius conjugis. 2. Si vir & fœmina convenerunt ad occidendum conjugem, ut inter se contrahant, & defacto occidunt: oritur inter eos impedimentum dirimens etiam

nullo præmisso adulterio. 3. Si unus conjugum occidat alterum conjugem animo contrahendi Matrimonium, etiam eo nesciente, cum quo intendit contrahere, dummodò interveniat adulterium cognitum ab ipsis adulteris 4. Si adulteri contraxerunt vivente innocente, dummodò uterq; adulter sciat alterum conjugem esse superstitem. Et sufficit adulterium subsecutum, ut docet Armillæ v. Matrimonium. n. 33. & Bonac: de Matr: q. 3 punct: 6. n. 8.

Cultûs disparitas.

Vt si fidelis contrahat cum infideli, id est, cum non baptizata.

Vis.

Quando quis cogitur ad contrahendũ Matrimonium per metum v. g. mortis, vel notabilis verberationis; etsi tunc interiùs consentiat. Nam aliàs hoc impedimentum non esset juris Ecclesiastici, sed naturalis: cùm defectus consensûs, seu intentionis, ex se verum contractum destruat. Scias: in fœmina minor metus requiritur.

Ordo

Ordo ſacer.

v.g. Subdiaconatus, Diaconatus,& Presbyteratus.

Ligamen.

Id eſt, qui Matrimonio rato licèt non conſummato junctus eſt, non poteſt contrahere cum alia, niſi poſt mortem prioris.

Publica honeſtas.

Ex Sponſalibus de futuro oritur, ut ſi quis deſpondeat puellam, licèt eam carnaliter non cognoverit, nullus ex conſanguinitate ejus poteſt eam ducere; nec ipſe aliquam de conſanguinitate ſponſæ. Hæc propinquitas tantùm extenditur ad primum gradum.

Affinitas.

Id eſt, cognatio quædam ex copula carnali procedēs. Quando enim duo habent copulam, tunc conſanguinei redduntur illis affines. Conſurgit autem affinitas non ſolùm ex copula licita Matrimonij, ſed etiam ex copula illicita. Et quidem ex copula licita ad quartum gradum,

dum, ex illicita ad secundum gradum inclusivè.

Impotentia coëundi.

Matrimonium clandestinum.

Hoc est, in absentia Parochi, & duorum testium contractum, est illicitum, & novo jure Tridentini, nullum.

Raptus.

Inter raptorem & raptam, quamdiu rapta est in potestate raptoris, non potest esse Matrimonium. Et raptor, auxiliantes, consulentes, faventes, excommunicantur, manent perpetuò infames. Quodsi sint Clerici de proprio gradu decidant & tenetur raptor, raptam decenter arbitrio Judicis dotare, sive eam in uxorem ducat cessante raptu & libertati restituendo, sive non. Trid: sess. 24. cap: 6.

Nota, raptum tunc propriè committi, quando mulier vi rapitur ad Matrimonium, non verò si rapiatur ob aliam causam, etiamsi rapiatur causâ libidinis, Sanchez. Et declaravit Sacra Congre-

gregatio, quam insinuat Summa Dianæ, v. Impedimenta Matrimonij. n. 22.

Et hæc de 5. Opusculis Sententiarum Sacrarum in memoriam 5. vulnerum Christi Crucifixi. Pro Honore SSmæ V. Matris Dei Mariæ & omnium Sanctorum.

SUPPLEMENTUM.

Distinctionis nonæ de extremo judicio. Opusculi 1. quod explicat Symbolum Apostolorum. Vbi de Signis præcedentibus finem mundi. Et de Antichristo.

De Signis.

S. Hieronymus relatus à S. Th: in Supplemento 3. partis q. 73. a. 1. ponit 15. signa. Primo die omnia maria exaltabuntur 15. cubitis supra montes Secundo die, prosternentur ita profundè ut videri non valeant. Tertio die, in statum redigentur antiquum. Quarto. Belluæ & omnia animalia quæ moventur in aquis, congregabuntur

per modum contentionis invicem mugientes. Quinto. Omnia volatilia cœli congregabuntur in campis invicem plorantia, non gustantia, nec bibentia. Sexto. Flumina ignea surgent ab occasu solis contra faciem firmamenti, usque ad ortum solis fluentia. Septimo. Omnia sidera & fixa spargent ex se comas sicut cometæ. Octavo. Erit magnus terræ motus, ut omnia animalia prosternantur. Nono. Omnes lapides magni & parvi dividentur in quatuor partes, unaquæque aliam collidente. Decimo die. Omnes plantæ fluent sanguineum rorem. Vndecimo. Omnes montes & colles ac ædificia in pulverem redigentur. Duodecimo. Omnia animalia venient de desertis & montibus mugientia, nihilque gustantia. Decimotertio. Omnia sepulchra aperientur. Decimoquarto. Omnes homines de habitationibus recedent non intelligentes neque loquentes. Tandem decimoquinto die. Omnes morientur & resurgent cum mortuis diu defunctis. Addit S.

Th: S. Hieronymum hæc referre & non asserere. Quæ enim tunc præcedent, vix sciri potest, exceptis quæ scriptura commemorat.

De Antichristo.

1. Hic nascetur Babylone de tribu Dan: ita sentit B. Albertus Magnus in compendio veritatis Theologicæ l. 7. c. 7.

2. Primò veniet cum benignitate & miraculorum operatione, & tunc à Judæis suscipietur, qui ei specialiter adhærebunt, ad quorum conversionem venient Enoch & Elias, & tunc Antichristus in apertam persecutionem consurget. ita idem B. Doctor loco cit: c. 10.

3. Faciet imaginem suam adorari. Signabit sequaces in manu dextra & in frontibus. Sicut in Christo D. omnis plenitudo sanctitatis fuit, ita in Antichristo omnis plenitudo iniquitatis. ita idem B. Doctor loco cit: c 8.

4. Regnabit tribus annis & medio. Vnde Danjelis c. 11. *iuravit Angelus per viven:*

viventem in æternum, quòd *in tempus*. sc: unius anni. *& tempora*. sc: duorum annorum. *& dimidium temporũ*, id eſt, dimidij anni Gloſſa hoc ſpatio dicitur duratura deſolatio ſub Antichriſto. idem B. Doctor c. 13. idem habetur Apocalypſis c. 13. ibi. *Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea? & datum eſt ei os loquens magna & blaſphemias. Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.*

5. Præcurſores judicis erunt Enoch & Elias. Hi prædicabunt *diebus mille ducentis ſexaginta*. Apocalypſis c. 11. id eſt, tribus annis, ſicut ipſe Chriſtus prædicavit. *Amicti ſaccis*. Gloſſa. *Prædicantes pœnitentiam & exemplum oſtendentes*. idem B. Doctor c. 12.

6. Tandem Antichriſtus occidet eos in Hieruſalem & jacebunt corpora eorum in plateis tribus diebus & tribus noctibus & dimidio, & reſurgent & aſcendent in cælum in nube, Antichriſtus verò poſt mortem eorum regnabit quindecim diebus. idem B. Doctor loco cit.

7. Po-

7. Poteſtate ſuâ Dominus occidet Antichriſtum, ſicut dicit Gloſſa ſuper Apocalypſim, ſive per ſe ſive per Michaëlem. Occidetur autem in monte Oliveti in papilione in ſolio ſuo, in loco circa quem Dominus aſcendit in cœlum. Antichriſto verò interfecto non ſtatim veniet Dominus ad judicium, ſecundùm Gloſſam ſuper Danjelem concedentur quadraginta quinque dies ad refrigerium juſtorum & pœnitentiam ſubverſorum. Quantum autem ſit ſpatium inter illos quadraginta quinque dies & finem mundi nemo ſcit. Miniſtri verò Antichriſti poſt mortem ejus gaudebunt ducentes uxores, & dicentes licèt princeps noſter mortuus ſit, habemus tamen poteſtatem, pacem & ſecuritatem: & cùm talia dixerint, repentinus eis ſuperveniet interitus. Judæi verò tunc convertentur ad fidem, & Sancta Eccleſia uſque ad finem mundi pacificatâ quieſcet: quia tunc fraudulentia & ſævitia diaboli penitus ubique deficiet, idem Beatus Doctor c. 14.


Ex quo patet quindecim ſigna quæ ponit S Hieronymus ſi quid veritatis habent ſequentur Antichriſto jam occiſo.

Errata ſic corrige.

Diſtinctionibus, *l* dictionibus, *f.* 17 buintam, *l.* quintam *f* 29. Colonenſi, *l.* Colonienſi, *f.* 31. p. moralis, *l.* p. mort lis, *f.* 35. Patres, *l.* partes, *f.* 54. I : *l* 22. *f* 61. rumor, *l.* tumor *f* 88. deſiniunt, *l.* definiunt. *f* 93. Cani *l.* can: *f.* 98. lucis, *l.* locis, *f.* 110. q 2. *l.* q 92. *f.* 115 inteſtinis *l.* in inteſtinis, *f.* 117 accommodantis, *l* accommodatarij, *f.* 143. comumativa, *l.* commutativa. *f* 144. homicidiæ *l.* homicidæ *f.* 242. exprimitur *l.* imprimitur *f.* 247. claudeſtina *l.* clandeſtina *f.* 261.

Cætera benevolus Lector corrigat, excuſet & ſanè intelligat, v.g. f. 63. & 274. n. 5.













Quid sit peccatum Originale / 2. Utrum hoc peccatum veram habeat peccati rationem / Quinam,
et a quo, et quando peccatum Originale contrahant.
Quomodo peccatum Originale traduci possit ab Adamo. / Utrum decedentes cum solo
veniali patiantur aliquam poenam sensus / Quomodo definiatur peccatum materialiter et quid formaliter
Quid requiritur ad peccatum Actuale / Utrum peccatum mortale possit aliquando fieri
veniale et econtra / Utrum peccatum veniale fieri possit mortale ratione scandali

quantitas notabilis deliberatio consensus

Et privatio Justitiae et sanctitatis debitae in esse singulis ex pacto facta a
Deo cum Adamo, et ideo peccato veram rationem peccati habet et dicitur vo-
luntarium in nobis, non voluntate propria sed voluntate aliena, scilicet
Adami